HARVARD
MEDICAL LIBRARY

VE RI TAS

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

Gift of
Alice R. Christopher

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/bassianicarminat03carm

BASSIANI CARMINATI

HYGIEN. THERAP. GENER. MATER. MED., ET CHIRURGIC. AC PHARMACIAE IN TICIN. GYMNAS. REG. PROF. NOSOCOMII MED. PRIMAR. ET REG. ACADEM. SCIENTIAR. NEAPOLIT. SENENS. MANTUAN., ELECTOR. MAGUNTIN. PATR. MEDIOLAN. EC. SODALIS.

HYGIENE, THERPEUTICE, ET MATERIA MEDICA

VOL. III.

PAPIAE MDCCXCIII.

Typis Balthassaris Comini.

Praesidibus rei litterariae permittentibus.

Cum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a medicis saepe tractata sint, atque tractentur: subiiciendum est, quae proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diversas sententias: quod in pluribus contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus.

A. Corn. Cels. pag. 11.

INDEX CAPITUM

CAPUT I.

De Evacuantibus generatim; deinde de Errhinis. Pag. 1

CAPUT II.

De iis medicamentis quae Salivam movent. 23

CAPUT III.

De Expectorantibus. 182

CAPUT IV.

De iis, quae vomitum movent. 245

CAPUT V.

De iis, quae alvum ducunt. 293

CAPUT VI.

De Anthelminticis. 394

ERRATA			CORRIGE
Pag.	lin.		
302.	15.	Ptae	Prae
320.	2.	utinam vel aliis	utinam vel non aliis

HYGIENES, THERAPEUTICES, ET MATERIAE MEDICAE

PARS ALTERA

SECTIO II.

DE AUXILIIS PHARMACEUTICIS, ET CHIRURGICIS, AC SPECIATIM DE EVACUANTIBUS.

CAPUT I.

De Evacuantibus generatim; deinde de Errhinis.

1031. Provisis omnibus, aut saltem praecipuis, quae ad universa Alterantium remediorum genera pertinent; nunc ea persequar quae ad Evacuantia referuntur. Quo quidem nomine non minus Auxilia complectar, quae rerum, humorumque e vario corporis loco naturaliter erumpentium exinanitionem, seu, ut dicunt, evacuationem promovent, ac maiorem, crebrioremque efficiunt, quam ea praesidia, quae, novis viis patefactis, exitum humoribus praebent. Quamquam porro qui Materiam medicam tradunt illa tantum, quae proprie Evacuantia dicunt, expendere so-

leant; ego tamen, a quo nulla auxilia adversae valetudinis posthabenda sunt, ac praecipue omnium necessaria, neque ista praeteream. Ut enim sine iis, quae salivam, vel sputum, vel vomitum movent, aliisve Evacuantibus medicamentis e Pharmaceutico fonte desumptis nullam plerumque posset Medicina aegris sanitatem promittere; sic eadem persaepe nulla esset, nisi sanguinis missione, inductis ulceribus, similibusque, ob manifestam, ac valde proficuam copiam humorum, quam nunc cito, nunc lente educunt, Deplentia Chirurgica vulgo nuncupatis, instantis, vel incipientis morbi periculum avertendo, aut iam evoluti vim infirmando prompte, atque efficaciter ipsis aegris subveniret.

1032. Cum itaque ad utrumque auxiliorum genus spectantia singillatim exsequenda sint, initium ducam ab iis, quae Pharmacia suppeditat. Dum interim ex ea petita medicamenta, quae suis viribus plus, minusve manifesta exinanitione adducta, qua retentum id, quod debuisset excerni, aut quidquid copia, vel indole alienum est, e consuetis corporis locis foras ad salutem propellatur, Evacuantia voco, non eos sequor, qui temere existimantes in fluidas tantum humani corporis partes eadem agere, omnes quoque eorum effectus, omnesque utilitates, quas in morbis praestant, ab immutatis, imminutis, eductisque humoribus solummodo deduxerunt. Cum enim nunquam eas Medicorum senten-

tias probaverim, quae fluidarum partium, ex quibus humanum corpus coalescit, principiis, proprietatibus, motibusque primas, ac pene omnia tribuentes in earum vitiis plurium morborum caussam, et sedem, saltem praecipuam, propioremque constituunt; nunquam pariter existimavi, aut docui, quaelibet Evacuantia ideo tantum esse proficua, ac necessaria, quia primitus, ac maxime humores attingunt, eosdemque sive superfluos, sive alienos evacuant. Nam, praeterquamquod a remediis affici fluidae partes non possunt, quin unà, vel etiam prius, solidae percellantur, certum est Evacuantia medicamenta multiplici ratione plerumque prodesse. Quatenus porro dum evacuant vires naturae interdum levant, insignem derivationem humorum ab una ad alteram corporis sedem perficiunt, secretiones sublatis impedimentis expediunt, resorbentium vasorum vires incitant, motusque adiuvant, ac circuitum sanguinis ad naturalem ordinem saepe revocant, magna, et plura aegris commoda afferunt.

1035. Neque haec, a generali Evacuantium actione derivanda, solum arguunt, eorum vires ad solidas quoque partes proxime deduci, atque efficaciter extendi, sed rursus evincunt phaenomena suis locis expendenda, quae ex propriis, quibus singula Evacuantia donantur, facultatibus, pro vario eorum genere admodum variis, non minus in fluidis, quam in solidis maxime partibus luculenter se exerunt. Tam dissimiles revera, tamque

celeres, atque ad totum corpus immutandum idonei esse solent effectus, quos proprio quodam stimulo, vel physica, aut chemica agendi ratione, ob constituentium partium discrimen non parum diversa, pleraque Evacuantia edunt, ut haec pluribus morbis mirifice auxilientur, quos secus una detractione humoris, aut communi operandi modo lenire nunquam possent, aut discutere.

1034. Quae cum ita sint, atque ostendant efficacitatem, necessitatemque Evacuantium remediorum extra eos etiam fines extendi, quos secus solum exinanitionis beneficium praefiniret, ostendunt quoque non aeque quidem, et vehementius, quam par esset, quosdam hypothesium, novarumque rerum nimis cupidos Sapientioribus cuiusque aetatis Clinicis exprobrare Evacuantium usum in iis morbis prudenter institutum, quos infirmantia intendere, excitantia vero discutere solent. Praesertim cum non raro supervacua materie onustum, ac pene oppressum langueat corpus, atque ita infirmetur, ut, ea nondum dempta, neque refici queat, neque ad pristinum robur redire; cumque nobis etiam suppetant non pauca ad evacuandum aptissima, quae fibris stimulo, aut alia ratione perculsis, vel mutationibus aliis inductis, humoribus exitum praebent, atque una opportunum virium incitamentum afferunt, quo alicuius partis, aut totius etiam corporis firmitas superstes non aegre tueatur, aut amissa facile redeat.

1035. Quod quidem Evacuantium reme-

diorum discrimen cum animo reputo magis adhuc absum, ut veritati consentaneam eorum opinionem arbitrer, qui tum omnium remediorum, tum etiam Evacuantium eam esse communem actionem contendunt, qua stimulando generatim operentur, ac prosint. Quae enim in hanc rem ex Ill. BRUNONIS hypothesi, non mediocri licet ingenio excogitata, adducuntur, neque alias tanta mihi visa sunt, neque hodie videntur, ut principiis, et caussis, quae remedia ad agendum determinant, alibi a me propositis, nunc plane reiectis, omnes eorum facultates, omnesque effectus, sive generales sint, sive singulares, ab uno stimulo proficisci defendam. Profecto, etsi ego Cl. Viri memoriae nullatenus sim infensus, aut ullo modo velim ingenii quam plurimi laudem ei detrahere, qui multa acute excogitavit, multaque etiam docuit vera, atque utilia; censeo nihilominus, omnium remediorum actionem a solo stimulo temere deduxisse, ne caetera modo attingam, quae eius hypothesim infirmant. Haec enim, quae mei muneris non sunt, cur nunc persequar cum eadem a Sapientissimis Artis Magistris, qui hic loci reliquas Medicinae partes summa cum laude profitentur, in Brunonianum systema plenissima doctrina animadverti soleant quando de vita, eiusque caussis disserunt, sensilitatis, atque irritabilitatis affectiones, discrimina, et leges tradunt, aut singulas actiones, et functiones humani corporis expendunt, tum quando morborum caussas, natu-

ras, effectus, exitus, eorumque curationes rimantur?

1036. Potius igitur, hisce praeteritis, quae propositae hypothesis fundamenta aut evertere, aut magna ex parte infirmare censentur, presse animadvertam, phaenomena, quae in quorundam praesertim remediorum effectibus se exerunt, dubio procul evincere, veram eorum agendi rationem BRUNONIS asseclas non perspexisse. Profecto quae ex frigore humano corpori accidunt, quae nonnulla praestant pharmaca, dum in sanguinem deducta, caeteris inviolatis partibus, unam speciatim afficiunt, quae diluentia, et temperantia, ac praesertim adstringentia, et caustica edunt, quae antispastica, ac narcotica ipsa in nervis, et cerebro suscitant, etiam si insitas carnibus vires incitent, atque augeant, quae acidi liquores, aliaeque res in humores potissimum praestant, quaeque demum alia medicamina in universo corpore efficiunt BRUNONIS sententiae nonne aperte adversantur? Ita quidem existimant qui veritatis studio ducti, atque ab omni praeiudicata opinione liberi quod in eo systemate non satis perspectum est, aut falsum non audent defendere, imo Ill. MOSCATO subscribunt, qui, BRUNONIS operi cum egregie praefaretur, non ita eius placitis adhaesit, ut eum undequaque optimum crediderit, aut cum eo reformandam funditus medendi artem censuerit (*a*).

(*a*) BRUN. Elem. Med. edit. Mediol. 1792. in praefat. pag. XX.

1037. Quare cum ea, quae de remediorum actione, proprietatibus, effectibus, eorumque divisionibus ex Brunonis hypothesi quidam nimis fidenter adducunt, utut partim vera sint, in universum tamen tum mihi, tum iis, qui ingenio, doctrina, atque Artis usu caeteris praestant, rationi, atque experientiae contraria videantur, reliquum est, ut iuxta eam methodum, qua Alterantia remedia exposita fuerunt, Evacuantia quoque in tot genera tributa, quot sunt exinanitionum, quas adducunt, discrimina, commode proponantur. Maxime vero qui nulli parti addictus ita de remediis singulis Evacuantibus dicturus sim, quemadmodum de Alterantibus disserens iam praestiti, ut ab iis Brunonis, aliorumque Nuperiorum sententiis, quas cum veritate consentire animadvertam, cuique videar, non repugnare modo, at eas lubenter amplecti. Caeterum in quacumque hypothesi mihi timendum non est, ne ea, quae vel iam tradita sunt, vel tradentur in posterum de remediorum viribus, proprietatibus, usibusque minus tuta, certa, atque utilia videantur. Cum enim ab evidentibus, constantibusque remediorum effectibus, quos in aegris edunt, eorum actiones potissimum deduxerim, atque usus in morbis tuto constituerim, firmis semper fundamentis innixa erunt, rationi scilicet, atque experientiae, semperque veritati consentanea manebunt, quae tum de Alterantibus tradidi, tum de Evacuantibus expediam,

quaecumque demum sit ratio, aut mechanice, qua eadem iudicemus aegris prodesse.

1038. Hisce de Evacuantibus generatim propositis, singula nunc eorum genera exequens ab Errhinis initium ducam, quae primam speciem constituunt remediorum, quae a Therapeutis Apophlegmatica vocantur. Hac siquidem voce generatim designant medicamenta, quae mucum, et serosos humores ex pituitaria membrana vel naturaliter, vel ob morbum secretos e naribus, proximisque partibus, et sinubus, atque ex ore, lingua, faucibus, larynge et pharynge expressos educunt. Ubi autem haec per nares materiem eliminent, Errhina, ubi per os, Salivam moventia, aut Sialagoga dicuntur. Quatenus vero Errhina vel ob formam, aut qualitatem suam, vel ob conditionem partium, quas afficiunt, humorum exitum promovere, aut praestare rarissime solent, quin una sternutationem, plerumque crebram, et validam moveant, hocque potissimum fine in usum saepe veniant, Ptarmica etiam, aut Sternutatoria passim nuncupantur.

1039. Iamdiu porro eiusmodi remediorum perspecta est in morbis quibusdam sive arcendis, sive curandis utilitas. Eam siquidem veteres iam Medici ab evidentibus eorum effectibus deduxerunt, qui revera sunt tum partibus, quas proxime afficiunt, tum universo corpori salutares. „ Exinanitio qui„ dem ipsa, (apposite inquit Ill. Grego-

„ RYUS (*a*)), quam efficiunt, nimis exigua „ est, quam ut generalem massam humorum, „ et totum corpus afficiat; sed partes vicinas „ et coniunctas haud parum afficere potest: „ quamquam, (ut idem subdit Auctor) per „ consensum generalem totum corpus exci„ tant, maiorem secretionem, et fluxum muci „ narium, aliorumque, qui cum eo excernun„ tur, humorum, quales sunt lacrymae, aliique „ humores oculorum per suum stimulum effi„ ciunt; distributionem sanguinis aliquantum „ mutant, maiore nimirum eius ad nares, et „ minore igitur ad vicinas partes derivatione „ facta; et demum excitata sternutatione to„ tum corpus quatiunt, et pene convellunt.

1040. Qui quidem effectus ex eo potissimum in capite se produnt, quia non solum, animadvertente sapienter CULLENIO, actio Errhinorum proximos naribus musculos maxime afficit, unde rheumatici affectus, qui vel ipsos corripiunt, vel dentium dolores inferunt, mitigentur, atque interdum discutiantur, verum etiam quia ad omnes ramos carotidis externae facile deducta ad aures quoque, atque ad oculos usque extenditur, imo ad vasa intimiora cerebri eadem propagatur, cum etiam a carotide interna nares arteriam accipiant. Ex quo profecto partium nexu plane assequimur quomodo ex cohibita muci egestione, cui natura iamdiu assueverit, vel ex

(*a*) Conspect. Med. n. 1513.

eius fluxu insigniter imminuto instantes capitis morbos, maturo Errhinorum usu prudenter instituto, peritus Artifex interdum averterit, aut ob eam caussam iam evolutos interdum, nullo alio remediorum genere adhibito, feliciter sustulerit,

1041. Errhinorum interea efficacitatem, interdum insignem, clarius adhuc quisque perspiciet animo reputans, quam proxime nervos, quosque eadem remedia percellant. Tanta profecto ob hanc caussam est eorundem vis, ubi praesertim nimis stimulantem, nimisve acrem habeant potentiam, ut raro hodie probentur contra Veterum sententiam, qui eadem, licet valde acria essent, ad pituitam e cerebro educendam magni facere, atque audacter praescribere consueverant. Quamquam enim nec eiusmodi effectum Errhina praestent, nec cerebrum proxime afficiant, cum interiora capitis non subire diligentior iam docuerit Anatome; exploratum nihilominus est, ea omnia, quae pituitariae membranae admoventur, ob summam nervorum, qui ad eam feruntur, sensilitatem (ex eo, ut Hallerus animadvertit, profectam quod nervorum filamenta nuda fere sint, aut tenuissimo saltem velamento in olfactus commodum obducta) ipsum quasi Cerebrum proxime attingere.

1042. Ex hoc proinde principio Medici tutissime deducunt acerbos capitis dolores, vix componenda sternutamenta, vertiginem, epilepsiam, convulsionum omne genus, ac

caetera funesta mala, quae intempestiva Errhinorum administratio, acriorumve abusus non raro intulit. Inferunt scilicet Errhina vehementiora, quando narium nervos maxime afficiunt, non dissimiles noxas ac soleant nervis, et cerebro inferre venena sub specie halitus infensa, sive fossilia sint, sive vegetabilia, quando naribus attracta earum nervos proxime attingunt, praesertim ubi ista praeter narcoticum, aut aliud quodvis virus, acrem una stimulum, urentemque possideant.

1043. Quare si coryza, gravedo, cephalalgia, vertigo, soporosae affectiones, lypothymia, apoplexia, paralysis ab ea, quam iam adduximus, (§. 104.) caussa; si ichoris, et puris e naribus fluxus, aut lacrymarum molestum ex oculis stillicidium, lippitudo, atque amaurosis; si dentium dolores, aut surditas, aliique aurium morbi; si denique ex muci, aliorumque humorum defluxione ad pectus, vel ad stomachum ortae aegritudines, ac speciatim tussis, notha peripneumonia, asthma, et tabes usum imperent Errhinorum, ea quamprudentissime debent usurpari. Summa siquidem cura nitendum est, ne aegri temperies, aut natura huic auxilio repugnet, ne magna, vel diutina sternutatio contingat. ne ad nobiliores partes acris humor depluat, qui e naribus deberet excerni, neve demum eiusmodi fluxus humorum in incommodam, alienam, perniciosamque consuetudinem abeat. Quod quidem postremum quoties accidat, toties praestat huic

potius obtemperare incommodo, quam spreta consuetudinis vi salutem, quemadmodum ut plurimum evenit, hominis caeterum bene se habentis in adversam mutare, imo in magnum discrimen adducere.

1044. Ideo vero magis interest in usu Errhinorum caute se gerere quia eadem generatim e Stimulantibus validis, acribusque desumuntur. Generatim, inquam, cum non semper vel mucosa, ac serosa materies ob partium laxitatem, aut ob deficientem vasorum impulsum in folliculis, et sinubus haereat, vel oporteat ex universo sanguine humoris, qui in naribus secernitur, ut eiusdem exinanitio succedat, affluentiam ad ipsas nares, proximasque partes derivare. Quandoque enim ob rigiditatem fibrarum, vel ob vasorum obstructionem, vel ob muci, aut seri acrem, nimisve irritantem indolem ita utriusque humoris, qui alias facile, atque abunde fluebat, exitus imminuitur, retardatur, aut cohibetur, ut ea solum remedia conveniant, quae laxant, emolliunt, demulcent, ac stimuli cuiusque vim iniuriosam retundunt.

1045. Hinc quisque caussam assequi poterit, ob quam inter Errhina enumerari a quibusdam adhuc soleant aquae leviter calefactae, aut tepidi lactis fotus, erumpentes ex calida aqua vapores naribus admoti, in easque subinde recepti, ac decocta ex Emollientibus, stirpibus, quas suo iam loco proposui, frequenter attracta. Horum siquidem virtute in adductis casibus non poterit e naribus fluxus

non facile, et tuto incitari, ac restitui, quae secus aliis suppressionis caussis existentibus inutilia, aut nocua cederent.

1046. Ab eiusmodi rursus caussarum, quae muci fluxum e naribus cohibeant, discrimine, explicari commode poterit quomodo alia etiam remediorum genera ad eum incitandum, aut restituendum interdum valeant, licet perexiguo, aut non manifesto, aut nullo etiam stimulo pollere videantur, alioque potius principio agere, eademque revera profuisse summi nominis Clinici observaverint. Observarunt scilicet, praeter ea, quae mox adducebam (§. 104) nunc medicamenta tenuantia, ac solventia, iam a me proposita prodesse, nunc temperantia, nunc alia remedia, quae, eorum natura spectata, lenissima videntur. Et re quidem vera, ne caetera persequar, ex Oleraceis petitus succus *Betae vulgaris* seu Betae rubrae, qui, apposite animadvertente Ill. MURRAYO (*a*), lingua exploratus tam lenis percipitur, nonne naribus attractus mucum abunde elicit? Quamquam profecto Errhinum eiusmodi iam GALENO cognitum adeo validum ad nares emungendas non sit, ut PLATERO, aliisque visum est ex eo, quod efficacioribus, stimulantibusque admixtum usurparent, ac revera inditum naribus nec CULLENIO, nec mihi ad satis copiosum,

(*a*) Apparat. Med. Vol. IV. pag. 278.

diuque durantem fluxum promovendum successerit; attamen eum satis movere, ac protrahere solet, ubi pluries die, ac valide in nares attrahendo deducatur. Hoc enim modo adhibitum efficax, utilissimumque suppeditasse auxilium in gravi cephalalgia BAGLIVIUS (*a*) in odontalgia VOGELIUS (*b*) testantur.

1047. Interea cum plerumque oporteat stimulo, nec quidem exiguo, narium fibras lacessere, ut pituitariae membranae folliculi, ac vascula uberiorem muci, ac lymphae copiam secernant, eamque facile, et diu demittant, tum ob densitatem, aliamve caussam haerens materies discutiatur, ac valida, et crebra sternutamenta una succedant, vix alia Errhina a Materiae medicae Scriptoribus persequi solent, quam quae ex Stimulantibus medicamentis, alibi a me propositis, ducuntur. Sicuti vero stimulandi, atque irritandi vi praedita occurrunt quamplurima, eorum quaedam mitius, quaedam validius exstimulant, eademque non ex uno promi possunt remediorum genere, solent idcirco Therapeutae multo plura inter Errhina recensere quam in usum veniant, sintque Clinicis necessaria, tum quae vel isti retinenda credunt, in Mitiora, atque in Acriora seiungere, aut saltem in Fossilia, atque in Vegetabilia distinguere.

(*a*) Oper. omn. pag. 113.
(*b*) Mat. Med. pag. 191.

1048. At, ni plurimum fallor, nulla subest caussa, ob quam in recensendis Errhinis tantum laboris impendam. Quamquam enim sat firmis fundamentis innixum credam in morbis, quos iam attigi, usum Errhinorum, eumque arbitrer non minus fausta experientia evictum, quam naturae consentaneum, quae, motis ultro sternutamentis, a crassis, lentisque humoribus, qui aggesti capitis, aut pectoris catarrhales affectus minitentur, aut iam moveant, pituitariam omnem membranam nititur expurgare; censeo nihilominus non una ratione adductus quampauca esse tamquam Errhina in Medicorum, aegrorumque commoda retinenda. Cuinam sane bono ipse retineam corpora illa, quae sua figura, mole, asperitate, acrimonia, naribus indita adhuc solida, et integra, in easque recepta diu retinenda esse Medicorum quidam iubebant, ut mucosus, atque aqueus humor utiliter, atque abunde traheretur, si haec incommodum, quod procreant, beneficio non rependunt, si aeri nares subeunti aditum praecludunt, si inflammationem facile accersunt, ac sanguineis vasis extimulatis, ac laesis mucosi fluxus loco haemorrhagiam intempestivam, atque aegre interdum compescendam, plerumque determinant?

1049. E Fossilibus vero, ea quae veluti Errhina in libris Medicorum indicantur, quonam iure proponam, nempe *Ammoniacam* seu Alkali volatile causticum, *Ammoniacam aqua dilutam* seu Spiritum Salis Ammoniaci, *Sul-*

phates seu Vitriola *zinci*, *cupri*, *ferri*, atque *aluminae*, ac generatim Salia metallica, *Sulphatem hydrargiri* seu Vitriolum mercuriale, et *Muriatem hydrargiri corrosivum*, seu Mercurium sublimatum corrosivum? Nonne singula haec, etsi sternutamenta moveant, ob alias caussas sunt perquam aliena? Profecto prima duo, quae in syncopem lapsis, apoplexia serosa perculsis, aqua suffocatis, ac mephitium viru oppressis potenter excitando subveniunt subdita naribus, licet caute in aliis casibus adhibita nec semper aut nervis officiant, aut inflammationem accersant, fluxum tamen humoris neque copiose, neque diu proliciunt. Vitriola vero dum nimis irritant, ac valide adstringunt, effectu quidem, non discrimine carent; tum reliqua ob summam, quam habent, rodendi potentiam, atque ob metum, ne in sanguinem abripiantur, nunquam conveniunt.

1050. Quam multa praeterea non erunt tamquam inutilia, supervacanea, aut nocua ex ipsis etiam Vegetabilibus reiicienda etsi probatissima Errhina a quibusdam habeantur? Si pauca sane excipimus, quorum efficacitas evidens est, atque una innoxius usus, caetera negligenda esse mihi videntur. Postquam enim prava ea consuetudine, de qua satis alibi dixi (§. 481), in dies magis invalescente pulverem e contusis foliis *Nicotianae tabaci* totis naribus attrahendi, etiam cum nulla necessitas postulat, ac secunda praesto est valetudo, postquam, inquam, nimis solers luxuries

xuries in narium voluptatibus augendis invenit tam multas eiusdem pulveris species, quae odore, stimulo, tenuitate, atque acrimonia inter se valde discreparent, proindeque aliae leviter, aliae mediocriter, aliae denique valide irritarent, invenit quoque Errhina vario praedita gradu virtutis, quae alias usitatis suffici commode possint. Non solum enim, qui Nicotiani pulveris usui nondum assueverint, ubi instar remedii ad emungendas nares, motis praesertim sternutamentis, eodem utantur, eius beneficium sentiunt; verum etiam in tanta, quae suppetit, eiusdem varietate assueti pariter, ubi ab una, aut solita, aut nimis leni specie non satis auxilii experiantur, saepe, vel nova, vel acriori attracta, omnem utilitatem accipiunt.

1051. Hisce itaque caussis perspectis nemo erit, qui mecum non fateatur ex Errhinorum genere multa reiicienda esse, praesertim cum inter illa etiam, quae veluti usitata, aut innoxia retinenda iudicantur, plura superflua plane sint. Porro ut eadem remedia iam recenseam orsus ab iis, quae ad primum genus referri solent, ac Mitiora audiunt, praeter magis suaves, ac lenes species Tabaci, ac praeter Sacchari albi tenuissimum pulverem, qui vel per se, vel aliis gratis Stimulantibus admixtus non sine effectu naribus attrahitur, ex Verticillatis *Betonica officinalis*, *Rosmarinus officinalis*, *Salvia* tum *sclarea* tum *vulgaris*, *Origanum maiorana*, *Marum verum*, ac omnes pene Stirpes alibi indicatae (§. 840., et seq.)

ad evocandum e naribus fluxum quam utilissimae forma tenuis pulveris intra nares receptae censentur. Quaecumque sane ex Verticillatis sumantur, in quibus fragrans, atque aromaticus odor emineat, pulveres possunt largiri, qui subinde attracti sternutamenta moveant, ac nares emungant, at nihilominus nulla ex istis Stirpibus, ubi valide stimulare expediat, ac copiosum, diuque durantem fluxum efficere, satis efficax est. Quae duae siquidem reliquis errhina facultate praestare vulgo iudicantur *Betonica officinalis* (§. 845.) et *Origanum maiorana* (§. 843.), si earum pulveres tenuissimi naribus per se attrahantur, maiorem affinibus Verticillatis efficacitatem non ostendunt. Hinc tum istae, tum caeterae ideo tantum opportunae CULLENIO videntur, quia Errhinis aliis medicamentis additae, istis et maiorem penetrandi vim, et odoris suavitatem conciliant.

1052. Istis addunt Therapeutae Vegetabilia alia, quae, cum Verticillatis validius agant, inter lenia, atque acriora medium quodammodo locum sibi vindicare existimant, quamquam interim a Clinicis negligi nunc soleant. Hi siquidem neque e Multisiliquis *Nigellae sativae* seu Nigellae semina aromatica, ac leviter acria, in coryza pulveris forma alias adhibita, nunc exoleta, neque e Siliquosis vel herbam *Erysimi alliariae* seu Alliariae, vel *Sinapis nigrae* seu Sinapi semina, quae evidentius nares vellicant, ac sternutamenta, et lacrymas excutiunt, neque ex Scitamineis

Marantae galangae seu Galangae minoris, aut maioris radices, vel e Piperitis *Piperis*, sive *nigri*, sive *longi* grana, aut alia hisce similia tum per se, tum pulveribus aliis, ut olim fieri consueverat, admixta veluti Errhina usurpant.

1053. Neque inter ea, quae validioribus acrioribusque viribus pollent, multa sunt et tutissima, et usu probata. Non equidem vel alterutra, vel utraque ratione probare possum e Multisiliquis *Aconiti napelli* seu Aconiti herbam a LINNAEO speciatim propositam; non e Compositis radiatis *Achilleae ptarmicae* seu Ptarmicae herbam, quae instar pulveris naribus attracta sternutamenta non semper prolicit, ac iamdiu exolevit; non ex Ensatis succos, aut pulveres e radicibus *Iridis* tum *florentinae*, tum *germanicae*, quia utriusque pulvis, nisi levissima dosi admisceatur aliis errhinis, ut alibi fit, per se usurpatus sternutationem non semper movet, succus vero vehementius, quam par est, operatur; non aequiori denique iure quae e Liliaceis, ac speciatim e *Veratri* genere, atque e Tricoccis ducuntur. Quis enim unquam prudens Artifex vel e radice *Veratri albi* seu Hellebori albi, vel e seminibus *Veratri sabadillae* seu Sabadilli, vel ex concreto gummi resinoso succo *Euphorbiae officinarum*, quem Euphorbium dicimus, paratum pulverem ad expurgandas nares, atque ad movenda sternutamenta unquam suadebit, cum plane evictum sit exigua etiam quantitate adhibitum, aut

aliis admixtum mitissimis rebus admoveri naribus sine damno haud posse, maiori vero inditum copia ob summam irritandi potentiam validissima sternutamenta, haemorrhagias, inflammationes, diros capitis dolores, atque alia gravissima mala inferre? Ego sane nemini unquam Errhina eiusmodi suasi, cum viderim pulverem tum Sabadillae, tum Hellebori albi a quibusdam cautissime etiam tentatum plus damni, quam commodi attulisse, cephalalgia scilicet, narium ardore diu durante, atque intempestivo sanguinis fluxu concitatis.

1054. Ergo non minori prudentia, quam sagacitate se gerere mihi videntur ii Clinicorum, qui Errhina stimulantia quoties profutura coniiciunt, toties pulveres vel ex albidissimo Saccharo, vel ex variis Nicotianae praeparatis, vulgatissimisque speciebus confectos, nunc semel, aut iterum, nunc pluries intra diem naribus attrahendos aegris praescribunt; tum, ubi horum virtus non satis valeat, aut ob consuetudinis vim exeri nequeat, eam nonnisi tuto, ac generatim innocuo medicamento acuunt. Eiusmodi censetur ex communi fere Medicorum sententia, maximeque ex WHYTII (*a*), et CULLENII observatione Errhinum illud, quod e Sarmentaceis ductum *Asarum europeum*, seu Asarum praestat. Huius quippe folia leviter aromatico, et gravi halitu,

(*a*) WORKS p. 710, et 745.

nec multum acri amarore praedita, ac proinde, ut debiliora radice, quae alibi commemoranda erit, magis probata, subtilissime trita, sive per se, sive, quod rectius fit, mitissimis, aut leviter stimulantibus, odoris, aromaticisque pulveribus admixta, si naribus attrahantur, tuto, ac copiose eas emungunt, imo rite exhibita muci, ac seri fluxum, quem incitarunt, pro re nata diuturnum reddunt.

1055. Quaedam porro in eius usu servanda sunt, ut is auspicato cedat. Imprimis curare oportet, ut Asari pulvis a grano uno ad tria quavis vice in nares generatim recipiatur, non ultra. Qui enim eius dosim a quinque granis fere ad scriptulum extendunt mala ignorare videntur, quae tam audacter datum Asarum intulit. Curare deinde expedit, ut additis Verticillatarum pulveribus, aliisve Errhinis virtus eius excutiatur, quando iuvat tum cito, tum inductis sternutamentis, mucum, ac lympham e naribus detrahere. Secus enim sine sternutatione non raro agit, neque statim eius irritatio se prodit, neque confestim eius effectus se exerit, quamquam postea uberem fluxum excitet. Illud proinde necesse est etiam curare, ut mature, atque iterato in nares deducatur quae dosis convenire Asari videtur, ubi certo tempore humor educendus sit, diuque trahendus: unde hoc fine hora somni naribus excipiendum esse, ac postridie, et sequentibus diebus iterandum Clinici monent.

1056. Hac ratione adhibitum Asarum seri, et muci fluxum adeo efficaciter, atque abunde e naribus prolicit, ut in Pulveribus compositis, quos Medicamentarii Codices tamquam Errhinos exhibent, iure veluti praecipuum remedium recipiatur. Praesertim cum discrimine careat, nisi nimis audacter, ac diutius, quam par est, sic usurpetur, ut nimia irritatione, ac nimia utilis humoris iactura nocuum evadat. Quod quidem sub quavis Errhinorum administratione ne accidat, non exiguo aegri detrimento, curet Artifex diligenter, atque, ubi alterutrum praesto esse cognoscit, irritationem protinus studeat removere lacte tepido, decoctis emollientibus, ac mucilagineis, involventibusque medicamentis in nares immissis, tum laxitatem, quae fluxum in longum protrahere videatur, emendare remediis in eas prudenter inditis, quae tutissime roborent, ac paullatim, leviterque adstringant, tum denique fluxum sanguinis ad pituitariam membranam prohibere iis adhibitis, quae humores aliorsum avocant, ac tuto, prompteque revellunt.

CAPUT II.

De iis medicamentis quae salivam movent.

1057. Reperiuntur hactenus ea remedia, quae, ut iam dixi (§. 1038.), primum Apophlegmatisantium genus explent; nunc tradenda sunt, quae alterum constituunt, nempe Sialagoga, seu quae salivam movent. In quibus recensendis non dubitabo complurium Scriptorum morem sequutus in tres species eadem dividere. Cum enim salivam proliciant quaedam ore versata, diuque dentibus confecta mechanico tantum motu, quaedam acri, aut alio quovis principio, quod inter mandendum explicant, et quaedam demum, quatenus in sanguinem abrepta, atque ad partes salivam effundentes traducta in eas vim exerunt, commode inter se discriminantur. Facile siquidem, ac recte hoc ordine singula exequi possunt ad hoc Caput spectantia remedia, ea quoque non minus reliquis Evacuantibus proficua, atque interdum necessaria.

1058. Quamquam porro, ubi secunda, ac firma praesto est valetudo, saliva, ut iam monui (§. 479. et 480.), excreando absumpta, ac praeter modum effusa ea afferat mala, quae non secreta, aut parcissime effluens excitat, ac fluidioribus, atque utilibus parti-

culis corpore exhausto cibi, ac nutritii succi omnem coctionem subvertat, viscera obstruat, ac totius corporis infirmitatem, et maciem adducat; ubi tamen adversa instat valetudo, aut iam invaluit. ipsa interdum saliva summa utilitate remediorum ope largiter effunditur. Tutissimam quippe curationis viam monstrante natura, quae copioso humoris fluxu e folliculis, atque oris glandulis provide excito futuros quosdam morbos avertit, ac quosdam iam explicatos protinus instar cryseos discutit, vel plurimum levat, vel eorum in salutem exitum accelerat, Ars iamdiu invenit ad certa quaedam corporis mala sive arcenda, sive sananda saepe utilissimam, atque interdum necessariam administrationem eorum, quae salivam copiose prolicere usu potissimum compererat.

1059. Quam tutus revera, atque utilissimus interdum horum auxiliorum usus in morbis evadat necesse est, cum eorum actio, etiam quando a remediis pendet, quae in sanguinem non recipiuntur, ad folliculos omnes mucosos, ad omnes patulos ductus glandularum, nempe parotidum, sublingualium, submaxillarium, buccalium, et labialium, e quibus humor in os ubertim effunditur, atque ad cunctas partes etiam dissitas, quas Carotidis externae rami pereptant, atque ad omnes denique nervos, extenditur, qui sive proxime, sive remote cum iis consentiunt, quae oris interiora subeunt, et sensui, ac motui prospiciunt. Quae quidem actio ideo

maior, atque ad totam etiam corporis conditionem brevi, atque insigniter immutandam aptissima reddatur oportet, si ex eo fonte, quem Sialagoga reserant, non solum perennem fluxum rite adhibita ciere possint, qui supervacaneos, ac vitio cuicumque obnoxios humores utiliter detrahat, sed eadem quoque copiosius, aut diutius, quam conveniat, usurpata, ad tantum, tamque celere, ac continuum profluvium concitandum valeant, quemadmodum est experientia compertum, ut ex eo reliquae omnes naturales exinanitiones cessent, atque ipsum corpus brevissime summum squallorem contrahat, insigniter infirmetur, ac contabescat.

1060. Sua igitur actione Sialagoga remedia recte adhibita, non secus ac caetera Evacuantia, tum generalia, tum specialia commoda afferunt. Generatim copiam humorum imminuunt, eorumque exinanitiones, quae aliis locis accidunt, minores reddunt, et motum in universo corpore immutant, atque expediunt; solidorum vires incitant, si stimulando agant, dum quae salivae fluxum cohibitum emolliendo, aut laxando, vel irritationem removendo restituunt, contractionem, et spasmum solvunt, aliaque bona adducunt, quemadmodum ex quocumque genere sumpta diutius usurpata, aut nimis copiosum fluxum inferentia mobilitatem, languorem, debilitatem, atque inanitionem inducunt. Speciatim autem vires partibus insitas, quae interiora oris constituunt, vel innexae sunt, vel cum

ipsis communicant, vel manifeste consentiunt, nunc stimulo excitant, atque augent. nunc pro vario remedii genere, atque actione ad naturalem ordinem revocant; quaecumque secretioni, atque effusioni humorum opponuntur, tollunt; eos a caeteris vasis, maximeque a proximis derivant ad ea, quae salivam proliciunt, unde illa parcior, haec uberior sanguinis copia subeat, atque alios effectus afferunt, quos copiosius effusae salivae Physiologi tribuere solent, ne eos etiam modo commemorem, quae propriae remediorum naturae debentur. Quae enim medicamenta salivam non prius movent, quam a lymphaticis, aut lacteis vasculis absorpta, atque ad caetera vasa traducta ex communi humorum fonte ad organa salivam effundentia deriventur, vel haec peculiariter, aut maxime percellant, alios rursus plane distinctos, ac singulares effectus edunt, quorum certa ratio nondum reddita est.

1061. Si tanta itaque commoda queant Salivam moventia afferre, atque ea quidem adducere tutissima Clinicorum observatio evicit, mirandum non erit eadem in multis humani corporis non levibus morbis fidenter proponi, ac passim usurpari, tum speciatim in defectu, ac densitate muci, atque humorum os alluentium, in morbida materie salivae organis haerente, vel in proximis partibus aggesta; in iis morborum generibus, atque epidemicis constitutionibus, quae ad os sanguinis affluentiam derivant, ac salivae fluxu

iuvantur; in rheumaticis oris, ac faucium genarumque affectibus etiam cum ex irritatione dolorem, ac metum inflammationis moveant; in dentium cruciatibus; in caephalea diuturna, vertigine, lethargo, ac sopore in apoplexiam tendente; in hydrocephalo; in gutturis, et laryngis catarrhalibus morbis, ac quibusdam praesertim anginae speciebus, quae infantes, puerosque corripiunt; in lippitudine, amaurosi, aliisque oculorum vitiis; in morbis aurium bombum, tinnitum, ac surditatem inferentibus; in linguae torpore, atque eius, ac totius etiam corporis paralysi, aliisque denique morbis, quibus excitus salivae fluxus prodesse videtur. In hydrophobia siquidem, in lue venerea, in scrophulis, in viscerum obstructionibus, aliisque aegritudinibus ne quidem dubitandum videtur, quae salivam movent, interius delata medicamenta alia potius de caussa insigne auxilium afferre, quam excito uberi fluxu humorum, quem folliculi, ac ductus vi remedii perculsi in os effundunt.

1062. Utrum vero ad pestis, quarundam febrium, aliorumque morborum malignam naturam habentium contagem arcendam valeant quoque Salivam moventia, ac speciatim ipse valeat uberrimus eius fluxus, quem Tabaci accensi fumus fistula haustus proritarit, an contra istud praesidii genus nihili habendum sit, quaeri inter Medicos magna dissensione solet. Quae enim ex utraque parte dicuntur, eiusmodi sunt, ut tuta opinio interponi non possit. Quandoquidem, ne caetera attingam, Diemerbroeckius eos, qui fumum crebro

exsugerant a peste immunes evasisse testatur, dum Rivinius perhibet Lipsienses, etiam si eodem praesidio uterentur, peste nihilominus, quae apud eos saeviebat, implicatos fuisse. Interea, licet ipse horrendo spectaculo, quod Pestilentiae calamitas affert, neque interfuerim, neque satis tentatum fumi Tabaci, vel alterius Sialogogi medicamenti usum ad reliquos contagiosos morbos praecavendos hactenus cognoverim, verisimillimum tamen censeo ipsum non omni utilitate expers, si eo uno instituitur fine, ut excreta eius beneficio saliva, atque exputa prohibeatur, ne noxiis iam particulis onusta eas ad perniciem in sanguinem deferat. Quando enim maligno, et contagioso morbo detentis medemur, eosque proxime inspicimus, nec obversa quidem facie alloquimur, salivam saepe expuendam esse, ut iam ore susceptum fortasse miasma cum eodem humore foras confestim repellatur, commune est, ac prudentissimum Clinicorum consilium. Secus vero si ea de caussa et creber, et audax Salivam excitantium usus convenire dicatur, ut uberrimus eius fluxus, aut diutinus proritetur, ego quidem huic sententiae non subscribam, cum probe sciam quodvis exinanitionis genus, atque id omne, quod vel utilium fluidarum partium dispendio, vel quavis alia solidarum affectione vires infirmat non minus alienum esse ad pestis, aut cuiusque morbi tutelam, quam aptissimum ad corpus praeparandum, ut contagem facilius suscipiat, atque ex ea gravius laboret.

1063. Sed de his iudicium Clinicis esto dum ipse interea ad singula recensenda auxilia, quae ex ore humores evacuant, accedens, quae ad primam speciem revocari solent, brevissime expendam. De his enim, quae Masticatoria vocantur, unum monendum videtur, scilicet ea omni licet destituta stimulo, aut quovis alio ad agendum principio, imo plane inertia, dummodo eiusmodi figuram, atque indolem, et tenacem cohaesionem habeant, ut ore retenta dentibus confici diu possint, quin solvantur, aut suarum partium nexum, integritatemque amittant, cuiusmodi esse solent frustula viridis ligni, cera, mastiche, aliaque hisce similia, salivam generatim eo copiosius elicere, quo diutius conficiuntur, eademque elicere ob eam plane caussam, aut mechanicen, quae sub masticationis opere uberrimam humoris copiam in os effundit. Dum siquidem dentibus conficiuntur eas omnes musculorum potentias in actum deducunt, quae, cum cibos incidunt, atterunt, discerpunt, compingunt, atque ad fauces deferunt, ex innumeris pene in ore obviis, ac patulis fontibus mucosos, atque aqueos humores alimentorum solutioni, ac coctioni maxime utiles facile exprimunt.

1064. Ob hanc proinde actionem, quae proprii nihil exhibet, hac Salivam moventium specie longe usitatior altera Medicis est, quae remedia a stimulo generali, aut a quovis alio actionem suam habentia oris prolicientem humores complectitur. De qua quidem pro-

tinus dicam, postquam monuero non in omni casu ad salivam movendam Stimulantia expedire. Cum enim non solum naturalis eius fluxus medendi caussa incitandus sit, verum etiam interdum revocandus, ubi scilicet ob vim morbi aequo parcior evaserit, aut pene inaruerit, atque huius defectus caussa non una perpetuo sit; varium quoque auxiliorum genus ad salivae exitum expediendum requiritur. Enim vero requiritur remedium, modo emolliens, quod interiora oris instar fotus, aut vaporosi balnei adhibitum relaxet, si rigiditas, aut adstrictio fluxum imminuat, vel reprimat; modo blandum, et mucilagineum, ac stimulantes particulas involvens, ac quodammodo irretiens, si acer humor nimia sua acredine exitum sibi praepediat; modo tenuans, ac resolvens, si muci nimia copia, aut densitas vascula, eorumque hiantia ora occludens humori effluxuro obsistat; modo temperans, ac refrigerans, si phlogosis, aut inflammatio, ne libere queat secerni, aut commode excerni, ut interdum evenit, prohibeat; modo anodynum, atque antispasticum, ipsumque etiam opium habens, si spastica a nervis profecta irritatio vel humoris separandi affluentiam, vel iam secreti, haerentisque effusionem impediat; modo denique aliud, atque aliud, quod maxime necessarium videatur, recte, et varia quidem forma, nunc fumi, nunc vaporis, nunc fotus, nunc partialis balnei, nunc colutionis, nunc gargarismatii usurpatum.

1065. Modo proponenda sunt, quae lagitate praesente conveniunt, stimulando partes oris, quibus admoventur, paullatim dentibus confecta, atque ad uberiorem fluxum irritatione excitando fibras omnes, ad quas eorum actio vel proxime, vel remote extenditur, exinanitionem humorum ex ore saepe non exiguum afferunt, quaeque externa etiam Sialagoga vocantur. Eiusmodi sane quam plurima habentur, quoniam amplissimum est Stimulantium genus, e quo eadem ducantur; sed neque omnia necessaria sunt, neque singula usu probata, neque ipsa usitata a me fuse exequenda erunt, cum, et pleraque iam tradiderim, et solum utiliora persequar. Satis itaque erit, antequam ista singillatim expendam, hic loci attigisse ad Sialagoga revocari Verticillatarum Stirpium quarundam folia, ac speciatim *Betonicae officinalis* (§. 840 et seq.) etsi parum valeant; Umbellatarum item quaedam semina magis aromatica (§ 858 et seq.) licet usu probata non sint; et quaedam inter Errhina iam relata, ut Iris utraque florentina, et germanica, Nigella, et Ptarmica (§. 1053. et seq.), tum speciatim Nicotiana, cuius folia, sive in funem contorta dentibus conficiantur, sive ex ipsis incensis erumpens fumus fistula hauriatur, dum salivam copiose eliciunt, quid commodi, quidque damni afferre possint (§. 450.) alibi propositum est.

1066 De Aromatibus autem ad salivam movendam magni factis, quorum praecipua

iam proposui (§. 869. et seq.) dicens de Cinnamomo, Nuce myristica, Caryophillis, ac variis Piperis, et Amomi Speciebus, tum radices enumerans aromaticas Galangae, Curcumae, Costi Arabici, et Zedoariae, unum est, quod animadvertam, nempe, ubi acrius Sialagogum conveniat, ipsum suppeditare radicem *Amomi zingiberis*, seu Zingiberis (§. 885) quoniam valde acri, diuque persistente fervore suo potenter exstimulat, ac copiosum humorem prolicit. Usitatius interim nobis est ex *Anthemi pyrethri*, seu Pyrethri radice, quae ex Arabia, et Syria advecta, fusca, intus albida, longa, pollicem crassa, atque inodora fervorem a resina profectum habet eiusmodi, ut primum vix ullus se paullatim exerat, sensimque intendatur. Quo quidem fervido stimulo dentibus confecta salivam sat cito, ac tam copiose elicit, ut inter praecipua Sialagoga, magisque usitata locum invenerit; dum contra apud nos iure exolevit *Delphinii staphisagriae*, seu Staphidis Agriae semen, cum non minus officiat vehementi amaritie, quam acrimonia, quae tam insignis est, tamque veneno proxima, ut discrimine nunquam carere mihi videatur.

1067. Ubi tamen Pyrethro minus stimulans remedium conveniat, eius loco paullatim manditur radix *Imperatoriae ostruthii*, seu Imperatoriae (§. 859.), aut ubi lenius agendum sit, radix *Angelicae archangelicae*, seu Angelicae, quae utpote magis grata ei generatim praefertur (§. 859). Rarius tamen, quam

alibi

alibi fieri soleat, apud nos dentibus conficiuntur *Sinapis nigrae* seu Sinapi semina (§. 106), quae plurimum commodant, ubi cum saliva oporteat una sternutamenta, et narium fluxum movere, ac lacrymarum fontem aperire. Neque ad eliciendam curationis caussa salivam, vellicatis simul naribus, lacrymisque excitis, recipitur ad intinctus ciborum expetita radix *Cochleariae armoraciae* seu Raphani rusticani, quamquam suo pungenti, acri, fugacissimo principio, quod recens explicat, efficacior reliquis salivam moventibus a CULLENIO iudicetur, si eius frustulum ore retentum dentibus leviter conteratur, tum ab Aliis in rheumatica odontalgia simili modo adhibita insigniter profuerit.

1068. Haec sunt, quae externa praebent Sialagoga; interna, quae modo expediam, unum *Hydrargyrum* suppeditat. Quamquam enim *Oxydum auri ammoniacale* seu Aurum fulminans intus assumptum salivam tam potenter moveat, tamque celeriter, ut a tribus eius granis exhibitis ingens accidisse eiusdem humoris profluvium semel, et iterum Ill. PLENKIUS observaverit (*a*); dari nihilominus nunquam debet. Nam ea etiam dosi propinatum tormina, ac summam debilitatem una intulisse idem Auctor testatur, imo minori adhibitum nunquam vel noxa, vel saltem periculo caret

(*a*) Toxicolog. pag. 241.

istud alias in volvulo, nuper in aliis etiam morbis, maxime nervorum, tentatum temere pharmacum. Ab eius sane usu, qui paullo largior inter summas anxietates, distentiones nervorum, profluvia, viriumque exsolutionem ipsam quandoque mortem accersit, nisi oleosa, mucilaginea, atque *Acidum*, sive *Sulphuricum*, sive *Muriaticum*, utrumque *aqua dilutum*, seu Spiritus Sulphuris, aut Salis marini protinus subveniant, nonne perpetuo erit refugiendum? Ita quidem prudenti cuique Artifici videtur; donec saltem ratio, aut pharmacum inveniatur, quo corrigi, quod in eo noxium est, non destrui, quod medicatum superest, tuto, ac commode possit.

1069. Interna igitur Sialagoga remedia erunt cuncta ex uno Hydrargyro petenda, quo nullum ad salivam proritandam tutius, ac praesentius remedium rerum Natura nobis hactenus patefecit. Ubi enim arte, aut corporis beneficio ita fuerit immutatum, ut tam ab absorbentibus cutis vasculis, quam ab iis, quae sub oris, ventriculi, intestinorumque itinere offendit, receptum Hydrargyrum queat ad sangninem traduci, ac nullo impedimento proibeatur eius actio in vasa salivam emittentia, huius fluxum tam facile, et copiose, diuque movet, ut quidam specificum ad salivam concitandam remedium vocare haud dubitent, acriter interim negantibus aliis. Hi namque cum nullum vere specificum medicamentum admittant, Hydrargyrum quoque hoc nomine designari non sustinent, sive in

saliva movenda, sive in syphilide sananda eius efficacitas, aut constantia spectetur. Verum non video cur tantopere de hac re Medicorum quidam dissentiant. Nam si specifici nomine primi utuntur, ut pharmacum significent, quod generatim, ac prae reliquis remediis vim suam ad salivae potius organa, quam ad alia deducat, singularem hoc modo proprietatem exprimunt, quae detrahi Hydrargyro non potest. Alii vero suam quoque opinionem poterunt defendere, si Hydrargyrum ideo denegent esse specificum quia, ut revera accidit, in omni casu nec salivam movet, nec syphilidis absolutorium, quod nunquam fallat, largitur.

1070. Caeterum, etsi neque perpetuo, neque semper proficue ex Hydrargyro ducta remedia salivam proliciant, ad efficaciora tamen pertinent Artis auxilia, prae omnibus hactenus compertis salivae vias subeunt, atque in eas vim suam facilius exerunt, eiusdem humoris fluxu proritato, impetu in os facto, eiusque partibus, proximisque ita affectis, ut, nisi plenam, ac manifestam, aliquam tamen, quae sensibus percipi vix possit, excretionem e vasculorum osculis moliri videantur. Metallicus enim sapor in cuprum fere incidens, ardor faucium, siccitatis sensus, gingivarum levis pruritus, atque alia, quae ab Hydrargyro sive exterius, sive intus usurpato, etiam quando non moveat salivam, aeger syphilide, aut quovis alio morbo implicatus saepe experitur, non obscure signi-

ſicant, remedium a lymphaticis nunc cutis, nunc ventriculi, intestinorumque vasculis absorptum, in sanguinem dein invectum, ac circuitus denique ope ad extremos exhalantium vasorum ductus delatum, ex ore erumpere, quemadmodum ex aliis pariter corporis sedibus, maximeque ex toto eius habitu erumpere alia phaenomena luculenter ostendunt.

1071. Porro non solum, quae sub Hydrargyri usu passim accidunt, perspicue indicant, ad cutim, ad urinae vias, atque ad ipsam alvum suam efficacitatem remedium diducere, excretionesque, quae hisce locis fiunt, adeo augere, ut interdum alvus moveatur, interdum urinae fluxus proritetur, ac sudor praesertim erumpat, verum etiam alia sibi propria, iam alibi indicata, (§. 611.) non raro efficere. Cum enim sub largiori, ac diuturna eius administratione nummus ore receptus, aut cuti applicitus idem metallum saepe ostendat, quemadmodum vel nuperiores Artis Proceres se interdum vidisse testantur, duo inde necessario sequuntur, primum scilicet ad extrema quaeque corporis Hydrargyrum pervenire, ac foras erumpere, alterum metallicis adhuc praeditum proprietatibus, nisi perpetuo, aliquando saltem prodire.

1072. Utique non ignoro neutrum a quibusdam ideo admitti, quia observant Hydrargyrum salis, aut calcis naturam iam arte adeptum, vel alterutram corporis viribus, ac speciatim lymphae, muci, succi gastrici,

bilis, ac gastici cuiusque fluidi potentia consequutum nullum sui indicium dedisse tum mihi, (§. 611.) tum Ill. KRUISCHANKIO, ac novissime Cl. MARABELLIO, aliisque, qui salivam, urinam, ac reliqua excreta accuratissimis experimentis explorarunt. Interea, quae alio loco adduxi (§. 610) apprime demonstrant, non solum Hydrargyrum, ratione licet, aut caussa non satis comperta, in humano corpore in integrum resolvi, verum etiam resolutum, iterum pristinae naturae, prioribusque suis proprietatibus quandoque restitui. Non enim aliud sibi volunt, quae ex HALLERO, PERCIVALIO, et CALDANIO potissimum de Hydrargyri globulis in ossium cellulis, aliisque partibus repertis, deque aliis ex proprio observationum penu indicatis phaenomenis eo loco tradita sunt. Perperam siquidem haec a nonnullis ideo denegantur, quia in cadaveribus ab Ill. HUNTERO accuratissime investigante nunquam Argenti vivi globuli detegi potuerint (*a*). Quod enim ipse non vidit, ac raro revera accidere fatemur, viderunt indicati gravissimi Viri, quorum fidei nefas esset obsistere, quemadmodum turpe esset ita ratiocinari, ut videremur argumentis a negatione petitis eam tribuere vim, quae ex observtione ducta, seu, ut Philosophi loquuntur, positiva sibi vindicant. Haec enim ab illis destrui nullo modo possunt.

(*a*) Des Malad. Vener.

1073. Interim vero sive dicatur resolutum Hydrargyrum interdum restitui, sive eo modo plerumque resolvi, ut nullum sensibus pervium naturalium proprietatum indicium praebeat, postquam vitae vires passum sit, magnum semper mihi negotium facesset vera eius intimior actio, seu mechanice, qua potius in salivae organa, quam in alia quaeque impetum faciat, tum ratio, ob quam aliis hactenus compertis remediis in syphilidis curatione antecellat. Hactenus quippe de hac re mihi visum est longe difficilius constituere quid sentirem, quam quid non sentirem. Plura quidem reperio rationum momenta, quibus possim de hoc remedio contendere efficacitatis suae caussam neque in gravi eius pondere, neque in summa, quam pati solet, suarum partium divisione, neque in propria quadam vi lympham solvente, neque in omnium excretionum incitamento, neque in aliis veritati minus consentaneis actionis principiis esse quaerendam. At quoties hisce reiectis aliam agendi mechanicen quaero, cum qua ratio, atque experientia consentiant, toties anceps haereo quamnam amplectar. Quae siquidem inter caeteras sententias mihi probabilior videtur de chemica eius in syphiliticum virus potestate, qua istud resolvatur, ac resolutum innocuum evadat, ex singulari forte affinitatis lege deducenda, verisimilior est, quam tuta. Nam praeterquam quod suis et ipsa difficultatibus non caret, eadem coniecturae vim non excedit.

Qui vero esse poterit vel ei tutissimus locus, quando caussa, ob quam Hydrargyrum salivam potissimum ducit, in utriusque affinitate quaeritur? Quae autem sententia a proprio quodam Hydrargyri stimulo omnes eius effectus explicat, nullo modo admittendam hypothesim exhibet, quia neque satis quod est in quaestione determinat, neque minora dissensui fundamenta praebet, licet in Mercurialibus remediis stimulum manifeste inesse, atque ad eorum actionem eum quoque conferre existimem.

1074. Non igitur cum quibusdam existimo in ipsum syphilidis virus Hydrargyrum nullo modo agere, atque ideo tantum prodesse, quod singulari irritatione sua ita adversetur peculiari pariter irritationi a suscepto veneno excitatae, ac syphilidis singula mala inferenti, ut, hac deleta, ipse quoque morbus discutiatur. Neque item a sola stimulandi facultate, qua totum lymphaticorum vasculorum genus speciatim afficiat, atque aqueos humores, quos vehunt, adeo resolvat Hydrargyrum, ut foras e corpore facile prodeat, satis arbitror explicari, cur salivam potius, quam alias exinanitiones invitet, atque os etiam afficiat, quando illius fluxum nec leviter incitat. Itaque quemadmodum primum admittere observatio non sinit, sic alterum ratio evincit aequam, ac sufficientem phaenomeni caussam non reddere.

1075. Quaerentibus autem quonam in statu intra humanum corpus agat Hydrargy-

rum solet ex quorundam sapientium Virorum sententia responderi in statu calcis agere, atque ita agere, ut, quemadmodum dixi, (§. 106), ubi hanc conditionem ab arte non acceperit, eam corporis beneficio consequatur. Quae quidem sententia explicandis phaenomenis utilis, et verisimilis iamdiu visa, nunc longe aptior, ac verisimilior iudicatur, postquam eius ope, obscuriora quaedam Therapeutae declarassent, eamque a quorundam obiectis vindicatam novis etiam suffultam rationibus nuperrimi Chemici exhibuissent. Et re quidem vera, ne caetera attingam omnium notissima, si evictum est, id quod in mercurio pinguedine subacto, aut in eo gummi admixto agit, illud solummodo esse, quod de metallo iam in calcem conversum, aut intra corpus in eam mutatum est; si caussae in eodem corpore praesto sint iis simillimae, quae extra ipsum Hydrargyrum vel adhuc metallicum in calcem convertunt, quas scilicet calorici vis, ac gastica fluida praestant; si salinum etiam ubi sit possit nihilominus in calcem mutari ob varias affinitatum vires, quarum non mediocris est ea, quam ipsum licet salis proprietates adeptum cum *Acido*, tum *sebacico*, tum *phosphorico* habet, ac protinus exerit, nonne verisimillima hypothesis erit?

1076. Profecto si omnes iam Medici consentiunt Argentum vivum, etsi in pene infinitam particularum tenuitatem dividi queat, sitque sanguine, BOERHAAVIO auctore, decies et ter ponderosius, tamdiu in humano

corpore iners manere, quandiu metallicam naturam retinet, dicendum necessario erit hanc toties exuisse novis proprietatibus susceptis, quoties ipsum metallicum adhuc deglutitum post aliquod temporis spatium salivam movet, atque os, et totum corpus ea ratione afficit, qua solet non metallicum usurpatum afficere, eaque aegris, aut nocere, aut prodesse. Id vero, licet raro, accidere tamen (ut ex alibi propositis observationibus erui, (§. 609.), quibus aliam novissime institutam a Cl. Viris omni exceptione maioribus, si oporteret, addere possem) cum fatendum sit; oportet quoque fateri ea in humano corpore, sive in primis viis, sive in secundis, sive in utrisque principia omnia praesto esse, quae Argento vivo metalli proprietates adimant. Si praeterea evictum est principia, aut actionis caussae, quae in illis corporis locis occurrunt, eiusmodi esse, quae Mercurium in calcem possunt convertere, aut alias saltem possint ei salis indolem, proprietatesque, ut quibusdam est magis accepta sententia, qui observant cum Celeb. Huntero, Kruischkankio, et Girtanerio salis forma prodesse, duo consequuntur, Argentum vivum corporis viribus ita mutari, ut metallicam naturam exuat, tum ipsum instar calcis, aut salis vim suam exerere.

1077. Cum itaque mutetur quandoque in humano corpore Hydrargyrum, eaque ratione, ut metallicam naturam exuat, unde huic resolutioni nova partium compositio succedat, cur quaeso, qui eiusmodi mutatio-

nem admittunt, acriter postea denegant Hydrargyrum deinde nullo modo posse iterum sic restitui, ut, quas amiserat, metalli proprietates recuperet, vel intra ipsum corpus, vel quando foras erumpit? Primum licet quam rarissime, interdum tamen evenire, ex adductis constat exemplis (§. 610.) alterum non raro accidere nonnulla, quae, dum prodit, excitat phaenomena iam partim indicata (§. 611.). Quae enim de colore mutato tum nummi in ore detenti, quo tempore mercurii vi excita largiter saliva erumpit, tum anuli, monilis, aliorumque, quae cuti adhereant eorum, qui remedio utuntur, quibus ex auro fabrefactis albedo induitur, cunctis sunt compertissima, non solum perspicue ostendunt assumptum Hydrargyrum ex ore, atque ex cute universa prodire, verum etiam interdum cum pristinis adhuc metalli proprietatibus, quas suscepit, vel actu acquirit, foras prodire.

1078. Denegant interea ex istis aliquid posse concludi, quia censent auri, aliorumque metallorum colorem mutari in iis, qui utuntur mercurio, non huius e corpore erumpentis potestate, sed illius vi, qui dum exterius illinitur in minutissimas particulas divisus a circumfuso aere abripitur, in eoque ita haeret, ut is arcto etiam loco conclusus queat, quemadmodum notum est, ab aliis aegro diu assidentibus, eique ministrantibus inspiratus ipsis quoque salivam movere. Verum, licet haec ut plurimum caussa sit mutati coloris, num eadem esse poterit, quando

mutatio accidit in iis aegris, qui iamdiu inuncti mercurio fuerunt, nec huius sordidatum halitibus aerem, imo purissimum respirant, ac tunicis, indumentis, vestibusque nullo mercurii miasmate infectis amicti sunt? Poterit rursus haec una caussa subesse quando phaenomenon in iis accidat, quibus non cuti illinitum Hydrargyrum, sed praeparatum, atque ore assumptum salivam elicuit, aut sudorem concitavit? Num etiam eadem caussa valebit ad explicandum, qui in aegris (§ 611), ab aliquot iam mensibus mercurio usis, superstes adhuc salivae fluxus argenteum vas nigris maculis infecerit?

1079. Haec sane intelligi, atque explicari non possunt, nisi Hydrargyrum, vel paullo antequam e corpore egrediatur, vel egrediens metallicam naturam recuperet. praesertim cum neque divisum in minimas moleculas adhuc metallicum in sanguinem influere, atque hoc modo, cum universum corpus peragraverit, erumpere nec ii velint admittere, qui restitutionem eius negant, mecum animadvertentes eiusdem nullum indicium praesto esse in humoribus eorum, qui eo utuntur, nullumque in iis, quae solent excerni, si Chemicis rationibus explorentur (§. 611.). Quae cum ita sint nonne rationi consentaneum esset suspicari ideo in humoribus mercurium erui non posse, quia vitae viribus vel penitus transmutetur, vel resolutum, atque una volatile factum abripiatur in auras prius, quam subiici experimentis queat, ita

ut tantum eo momento, quo cum sudore, aut cum saliva erumpit sui indicium praebere interdum possit, vel quando rarissime in aliquo corporis loco, ob singulare partium vitium, sensim delatum tanta colligatur copia, ut effusum sub specie metalli consistat? Hac vero ratione nonne dissimilitudines omnes, quas observatio praestitit, explicari possunt, omnesque inter se dissentientes sententiae componi? Alii quaeso dispiciant. Hoc unum ipse peto, ne nimis inconsiderate negando, quae ex gravissimorum Virorum observatione comperta sunt, difficilius reddatur aliquando invenire principia, et modos, quibus Hydrargyrum in humanum corpus agit, ac speciatim syphilidem sanat. Non enim harum rerum cognitio ita ab humana intelligentia disiuncta quibusdam Cl. Viris videtur, ut ad eam assequendam ineptientis hominis sit laborem conferre, qui ubi votis responderet, Ill. SWEDIAVRIO observante, uberrimo sane fructu carere non posset.

1080. Quare eas, quas hactenus attigi, sententias de Hydrargyri agendi ratione non eo quidem attingebam animo, ut propositis coniecturis, atque hypothesibus, veluti tutis, ac phaenomenis explicandis apprime factis, cunctis viderer assentiri. Cum enim nullam ex allatis opinionibus satis firmis innixam fundamentis habeam, nullamque iudicem omni difficultate vacuam, eas ideo tantum proponebam, ut Tirones monerem, ne ab illis coniecturis nimium, quam par est, repugnarent, tum plus,

quam oporteat, iisdem tribuerent, atque una Medicorum ingenia excitarem ad inquirendum, inveniendumque aliquid, quod phaenomenis melius respondeat, eorumque caussas ea nobis ratione aperiat, qua ipsius remedii usus tutior, atque efficacior aegrorum commodo evadat. Ex manifestis siquidem Hydrargyri effectibus, quam mira eiusdem actio cuique videri non debet? Porro remedium istud sive a lymphaticis cutis, cui illinitur, vasculis absorptum, sive ab iis, quae in ore, faucibus, oesophago, ventriculo, atque intestinis occurrunt, susceptum in sanguinem venerit, atque universum corpus pervaserit, vix dici potest, quot, quantasque mutationes solidis, fluidisque partibus inferat, ac quanta in morbis recte adhibitum praestet, vel contra quot, quamque graves noxas vel improvide, vel nimia datum copia suscitet.

1081. Tanta quidem ipsum suscitat, nisi recta adhibeatur methodo, apteque praeparatum, ut mirandum non sit a veteribus Medicis vituperatum, etiam si crudum Argentum vivum exhiberetur, ac potentissimis venenis a Dioscoride, et Plinio adscriptum sero admodum ad medendum, tum exterius, tum praesertim interius a Clinicis fuisse traductum. Cum enim externum usum unguenti, quod Argentum vivum habebat, ab Arabibus ad cutis insecta necanda, atque ad eius eruptiones, impetiginesque curandas magni factum, largiter prolicere salivam, ac membris, gingivis, dentibusque vim, et noxam inferre

ex THEODORICI, et GUIDONIS DE CAULIACO observationibus, Medici intelligerent, non prius sane ad Hydrargyrum illiniendum, vel ad ipsum arte praeparatum intus propinandum allici debuerunt, quam ex BERENGARII CARPENSIS, ac dein MATHIOLI experientia, et fide utrumque sine pernicie, imo utilissime fieri cognovissent. Ille siquidem ratus inter cutaneos morbos, quibus Hydrargyro Arabes medebantur, et syphilidem, quae initio maculis, pustulis, malignisque ulceribus cutim crebro foedabat, summam analogiam intercedere, cum, ex falsa licet coniectura, optimo tamen eventu vim externam remedii periclitatus invenisset eius ope tuto Syphiliticam luem sanari, invenit quoque sine ullo vitae metu mercurium exterius posse usurpari. Alter vero, qui primus censetur praeparatum intus dedisse Mercurium, cum exhibendo pauca grana Praecipitati rubri syphilidis graviora mala discuti docuisset, docuit quoque Medicos sine praesenti vitae discrimine, quemadmodum credebatur, aegris posse Hydrargyrum arte praeparatum intus propinari.

1082. Hisce primum perspectis, ac deinceps certius evictis non omnis interim metus in Hydrargyro usurpando e Medicorum animis fuit ademptus, neque iure adimi poterat, ob nimis vehementem, minusque syphilidis curationi aptam remedii administrandi rationem, quae tunc temporis invaluerat. Quam ob rem non multo post ac innotuit huius remedii vis ad syphilidem sanandam

studiose inquirere Medici coeperunt, num lenior, atque efficacior adesset ratio ipsum exhibendi, quae dum syphiliticam luem celerius, certiusque sanaret, iucunde quoque aegris subveniret, nullamve post se noxam relinqueret. Quamquam vero, quod erat in votis nostra aetate, aut vix paullo ante consequuta sit Medicina, ab hoc tamen studio reperiundi tutiorem syphilidis sanandae rationem, tot eas accepit Hydrargyri exhibendi methodos, ac tam varia ex eo praeparata remedia, quibus nostris diebus tutior, ac locupletior evasit. Tutior siquidem in syphilidis curatione ideo maxime evasit, quia omnibus aegritudinis symptomatis, artuum doloribus, gummi, exosthosibus, tumoribus, ulceribus, aliisque gravissimis affectibus non iniucundam, et certam afferre iam potest medelam, tum in tanta, quae praesto est, remediorum supellectile quovis in casu potest illud speciatim eligere, quod aetati, temperamento, naturae, viribus aegri, ac morbi complicationi, vehementiae, tempori, aliisque conditionibus potissimum conveniat, quodque curationem, quemadmodum expedit, nunc ocyus, nunc tardius absolvat.

1083. Erit igitur mei muneris, tum diversas Hydrargyri sive interius, sive exterius adhibendi methodos, tum singula magis usitata, quae ex eo ducuntur, remedia expendere, tantum interim in hac re mihi assumens, quantum pertinet ad eum, qui non de syphiliticis morbis cognoscendis, ac cu-

randis speciatim dicturus est, at solum de singulis auxiliis ex Hydrargyro depromptis, quae iisdem affectibus mitigandis, et discutiendis maxime inserviunt. Atque haec quidem breviter expendam, quae scilicet utiliora, atque usu magis probata sunt rimando, praesertim qui videam caetera omnia post Astrucium Illustr. Viros Girtanerium, Fabrium, Fritzium et Swediavrium tam docte, absoluteque complexos fuisse, ut nihil de iisdem desiderandum reliquerint.

1084. Sed antequam dicam, quae Hydrargyrii sive intus, sive exterius usurpandi invectae sint rationes, quaeque ex eo Praeparata in usum veniant, indicandi sunt effectus, quos idem remedium in humanum corpus generatim edit. Hi enim tam singulares, et tam magni sunt, ut plurimum ad syphilidis, aliorumque morborum rectam curationem omnino intersit Artifici eos undequaque perpectos habere, ne secus eo, quo vult, Artis praesidio aegris subvenire, nullum commodum praestet, quin imo noxam, ipsamque perniciem temere afferat. Scire itaque expedit Hydrargyrum sive illinitum, sive ore assumptum, dum exigua admodum dosi adhibitum secretiones humorum intendit, ac stimulare potius, quam exinanitionem valde manifestam afferre videtur, paullo maiori datum quamdam irrequiem afferre, somnum subinde abrumpere, levem pectoris anxietatem movere, aut aliquem sensum molestiae in abdomine concitare, ac pulsus crebriores,

vivi-

vividioresque reddere, donec istis accedant gravis quidam ponderis sensus in capite ad occyput interdum, aliasve proximas partes se extendens, aut levis quidam circa nares, aures, manus, et pedes algidus horror recurrens, tussicula, lenis, sive stomachi, sive intestinorum irritatio, levis sudor, et corporis lassitudo.

1085. Haec excipiunt, nisi iam apparuerint, metallicus oris sapor, gingivarum rubor, ac pruritus, levis phlogosis oris, eiusque, ac faucium ariditas, ardor, et sitis, quibus salivae ex omnibus ductibus erumpentis mediocris fluxus supervenit. Qui quidem, dum eo magis intenditur, quo magis remedium augetur, aut diutius continuatur, vel saltem pronior est ad salivam hydrargyro proritatam effundendam aegri natura, cum gingivarum tumore, cum dentium vacillatione, ob quam nisi decidant, facile eximi possint, et cum faetido, olidissimoque oris halitu continue invalescit. Tum vero tam largiter effusus humor, nisi provide, et caute imminuatur opportuno usu remediorum, nec per se ad ventriculum irruens nauseam, vomitum, aut diarrhoeam moveat, densus, atque in dies acrior factus fauces inflammat, totum os erodit, atque exulcerat, febrim accendit, glandularum, ac praesertim parotidum tumores affert, collum inflat, ac linguam tumidam adeo reddit, ut loquendi facultatem adimat, imo ore hiante exeratur, ac fauces ita constringit, et muco-

sa colluvie opplet, ut spiritu intercluso praefocari iam aeger videatur.

1086. Et re quidem vera, nisi tunc protinus raptim adhibita Artis quaeque validiora, aptioraque praesidia aegro subveniant avocato aliorsum impetu humorum, eorumque affluentia cohibita, ac dempta remedio nimia efficacitate tam ingens profluvium suffocationem infert, vel haemorrhagiis concitatis, alvi profluviis, ventris torminibus, vertigine, delirio, phrenitide, aliisque gravissimis morbis illatis, aegrum post morti non multo tradit, vel squallore, macie, debilitate, atque impotentia ad motus quoslibet obeundos, partium, quae in ore sunt, gangraena, ossium carie, lenta febre, et virium exsolutione tardius quidem, at immedicabili malo eum conficit.

1087. Ignorari interea non debet alios quandoque effectus Hydrargyrum edere ob variam aegrorum conditionem, ob peculiarem eiusdem praeparati indolem, atque ob ipsum adhibendi modum, ita ut vel ore assumptum vel illinitum alias potius partes afficiat, aliasve exinanitiones moveat, quam in salivae organa impetum faciat, eamque proliciat, quin tamen audacter datum minori tunc vehementia operetur. Enim vero idem pharmacum, quod ingenti salivae fluxu praesente ad cutis exhalationem cohibendam, ad urinae secretionem impediendam, atque una ad pertinacem inferendam alvi obstructionem valet, tunc, vel excitis largiter urinis, vel cum

vomitu, torminibusque alvo copiosissime, diuque soluta, vel nimiis sudoribus undique profusis, non minora vehementis suae actionis, gravia item mala, nisi protinus iisdem occurratur, inferentis argumenta solet ostendere.

1088. Neque haec tantum expedit novisse, quae vis Hydrargyri, vel nimis abunde, aut nimis diu propinati, vel Artificis negligentia sibi relicti generatim suscitat, cum etiam intersit non ignorare, interdum minima datum dosi ob singularem corporis, aut morbi conditionem ex ore, aut ex alio quovis loco uberrimam exinanitionem concitare, et quidem nunc tarde, nunc cito; interdum liberalius exhibitum eam vix manifeste promovere; atque etiam interdum pauca licet copia usurpatum ea celeritate syphilitica mala, aut alia quaeque sanare, in quibus multo maior eius copia generatim requiritur. Nec praetereundum est non tantum ex iis levioribus, quos paullo ante protuli, Hydrargyri effectibus initio se prodeuntibus coniiciendum esse remedium aegri corpus iam pervasisse, sed potissimum ex eius salutari in morbum actione, quam symptomata partim sublata, partim mitigata luculenter demonstrant.

1089 Profecto qui eiusmodi actionem nullo alio modo erui posse contendunt, quam ex consuetarum exinanitionum incremento, oblivisci videntur earum curationum, quas Medici commemorant, ut ostendant sine manifesto illarum incitamento mercurium in-

terdum syphilidem sanare, aut saltem, quod crebrius evenit, non animadvertere, scilicet idem remedium ulcera in melius mutare, diuturnos artuum cruciatus compescere, atque alia commoda syphilide implicatis saepe afferre, antequam ullam exinanitionem manifeste incitaverit. Qui autem, ut certo discant remedium interiora corporis permeasse, ita Mercurium perpetuo dare solent, ac dandum esse caeteris praecipiunt, ut os aliquantum afficiat, quo etiam iudicari possit tantum eius iam aegrum sumpsisse, quantum ipsi sit profuturum, animadvertant quaeso id saepe neque opportunum, neque tutum esse. Accidit enim interdum, ut, remedii vi ad os vel semel deducta, perarduum postea sit prohibere, ne fluxus salivae, qui vitandus erat, erumpat, atque iam inceptus confestim, et tuto cohibeatur. Tum illud saepe evenit, ut ex data quantitate remedii, etiam ubi exinanitiones concitaverit, Medicus nequeat inferre futurum omne beneficium remedii, quod certius levata aegritudo praenuntiat.

1090. Iam vero, ut veniam ad singulas Hydrargyri adhibendi rationes, ac primum eas expendam, quae externum eius usum respiciunt, nescio quonam iure quidam contendant, methodum, quam Evacuantem Nuperiores appellant, caeteris antiquiorem fuisse, eamque a Medicis magni factam, atque usu probatam, qui primi ad syphilidis curationem Hydrargyrum traduxerunt. Eos siquidem quam cautissime inunctiones usurpasse

tam luculentis testimoniis Clinicorum, qui doctrina, atque Artis usu insignes tum temporis auctoritate florebant, Astrucius evicit (*a*), ut nullum de hae re dubium supersit. Quamobrem iubent omnes (apposite idem Auctor concludit) „et inunctiones fieri „ tantum tertio, vel quarto quoque die, ne „ salivatio moveatur, et salivationem, si ni„ mia sit, imo quandoque si appareat, ca„ thartici exhibitione cohiberi „.

1091. Neque igitur omnium prima, neque rationalium Medicorum fuit prava haec methodus, ob quam syphilide laborantes unguentis ex Argento vivo, aliisque remediis praeparatis vel aliqua parte, vel toto corpore inuncti semel, aut bis die, nunc quotidie, nunc diebus alternis, donec ad quatuor, aut sex hebdomadas deducta esset curatio, in cubiculo ope hypocausti indesidenter calefacto, atque aestuante conclusi perpetuo detinebantur, ut etiam lecto recumbentes, ac multa veste obtecti continuum ex ore humorum profluvium experirentur, atque una profuso undique sudore manarent. Vix autem dici potest quot mala ex praeiudicata opinione foras cum saliva, sudoribusque propellendi syphiliticum virus, ac proinde ex adducta medendi ratione acciderint, in qua etiam illud miserrimum fuisse perhibet Hut-

(*a*) De Morb. Vener. lib. II. Cap. VII.

TENIUS » quod qui sic medebantur, medici» nam ipsi non callebant (*a*). » Ut audacissi» mus quisque aut in aliis viderat, aut ipse » tulerat, ita circuibat medicum agens. Par» cior ea quidem, apposite animadvertit A» STRUCIVS, erat mercurii quantitas (quam » initio Medici usurpabant), sed quae po» tuisset prudenter deinde augeri duce expe» perientia, ut auctam fuisse certum est, at» que ea ratione pedetentim ad debitam do» sim perduci. Sed placuit Empiricis, im» probissimo, et inconsideratissimo hominum » generi, praecipitando omnia perdere, nullis » praemissis universalioribus remediis Mercu» rium temere illiniendo: imo cum Mercu» rium a Medicis parcius illinitum ad curan» dam luem veneream plerumque inefficacem » esse deprehenderent, in contraria peccando » aegrotantes nimia, et praecipiti hydrargy» rosi ita opprimere, ut remedii vehementia » mortem obirent non pauci, caeteri vero, » qui valentissimi, vel felicissimi erant, ptya» tismo, diarrhoea, oris ulceribus, marasmo » confecti, macilenti, luridi, squallidi, eden» tuli, balbutientes, ore obligato capistrati, » post miserias diuturnas, et miserrimas lente » convalescerent „.

1092. Eam itaque methodum, tum primum, tum communiter in externo Hydrargyri

(*a*) Op. cit. ibid. pag. 108 et 109.

usu sequuti sunt Medici, quae caute illinito remedio interdum nullam, plerumque mediocriter salivam concitaret, donec unanimi fere consensione existimarent generatim nullum esse certius et tutius ad syphilidem radicitus evellendam, ac nullum aegri aetati, et temperiei, ac morbi naturae, et potentiae commodius medendi genus inunctionibus. Quae scilicet fierent unguento ex uno, et puro Argento vivo animalium pinguedine, aut alia materie probe confecto, caeteris unguentis mercurialibus compositis alias adhibitis prorsus reiectis, atque ita fierent, ut salivae fluxus citra omne discrimen ubertim accideret, ac tandiu protraheretur, quandiu morbi affectus omnino sanati apparerent, et omnis iam metus sublatus videretur, ne iterum reviviscerent. In hunc finem sanguine detracto, alvo subducta, ac calidis balneis praemissis semel, aut bis quotidie ad quindecim dierum spatio, et ultra usurpatis, duas, tresve drachmas unguenti Mercurium ad tertias, vel ad medias habentis ita illiniendas esse Medici praecipiebant, ut nunc in superioribus, nunc in inferioribus artubus, quando una, quando altera pars inungeretur, modo quotidie, modo alternis diebus, curando interea, ut victus tenuis, calidus cubiculi aer, perpetua in eodem mansio, nec permissa mutatio subuculae, tunicae, caligarum, et linteorum, aliaque salivae fluxum adiuvarent.

1093. Hoc vero circa quartam diem incipiente omnis cura in eo erat, ut continuatis

inunctionibus, nunc frequentius, nunc rarius; ac vitatis omnibus, quae ad urinam, vel ad alvum, vel ad cutim ducerent, non minus copiose, quam diu saliva ad integram morbi sanationem erumperet. Quando autem huic fluxui satis datum fuisse Medici coniiciebant; viginti, triginta, aut quadraginta etiam inunctionibus absolutis, tum protinus iis, quae alvum ducerent, quae sudorem pellerent, interdum quae urinas cierent, studiose curabant salivae fluxum imminuere, ac dein cohibere, atque una e corpore eliminare reliquias in eo adhuc haerentes remedii, quas forte salivae profluvium nondum abegerat.

1094. Atque haec erat Mercurii adhibendi ea ratio, Methodus salivationis vocata, qua non solum passim Medici olim utebantur, verum etiam nonnulli adhuc credunt utendum esse, ut certius, et validius Hydrargyrum syphiliticis opituletur. Qui scilicet existimant integram suam vim, efficacitatemque nunquam melius, ac plenius explicare Mercurium, quam ubi salivam moveat, neque unquam syphilidis virus arte corrigi posse, atque immutari, ut innoxium reddatur. Cum proinde iudicent, nullam aliam suppetere viam curationis, quam ipsa venerei miasmatis eductio non praestiterit, volunt quidem eam aggrediendam esse, perficiendam que Mercurio, utpote qui summopere divisus, et summam penetrandi vim habens abdita quaeque, et reliquis remediis impervia corporis loca permeando aptum est ad virus alicubi

insitum extricandum, educendumque, sed volunt nihilominus expulsionem eiusmodi manifesta exinanitione, ac speciatim salivae, necessario absolvi, ut a lue corpus abtersum perfecte convalescat.

1095. Verum quam parvi facienda sint haec, aliaque argumenta, quibus nonnulli adhuc conantur necessitatem movendae salivae ad syphilidem sanandam evincere, nemo est inter sapientores Clinicos, qui probe non agnoscat. Nam, praeter non levia incommoda, quae haec ratio medendi aegris affert, valde atterit vires, nutrimentum absumit, maciem adducit, atque aliis etiam modis nocet, quin plerumque morbum radicitus evellat. Qui enim erumpente adhuc saliva discussi videbantur luis affectus, ut plurimum, se iterum efferunt, paullatim invalescunt, atque interdum deteriores, pertinacioresque evadunt. Hinc caussa affulget cur aliam tentandam methodum, qua tutius, mitius, atque iucundius Syphiliticis Hydrargyrum mederetur, Clinici iudicaverint.

1096. Hanc se invenisse primus DESAULTIUS, dein alii eum eo existimarunt in eodem externo Hydrargyri usu aliquantum mutato. Ne enim illinito Mercurio salivae fluxus accederet, protinus aptis medicamentis vel ore assumptis, vel in alvum infusis, quae stimulo suo, quaeque alia agendi ratione ad intestina remedii vim, humorumque affluentiam derivarent, perpetuo utendum esse ille Auctor, eiusque asseclae docebant. Num recte? Non

ita quidem. Cum enim in hac medendi ratione ea facilitate, qua intromittitur, Hydrargyrum e corpore prodeat, non satis temporis relinqui remedio, ut queat suas vires in aegri salutem impendere, iam sapienter Medici animadverterant. Cui quidem vitio si addimus incommoda, quae tam crebris, validisque intestinorum irritationibus movet, et detrimentum nutritionis, et virium, quod affert, dum tot exinanitionibus utilia quaeque e corpore subtrahit, magis adhuc improbanda haec medendi ratio, quae Methodus Derivationis vocatur, unicuique videbitur. Praesertim cum, animadvertente Ill. FABRIO, dubitari possit, an unquam hoc modo quis e syphilide penitus convaluerit.

1097. Plus igitur sive ad syphilidem curandam, sive ad innoxiam efficacioremque Hydrargyri actionem assequendam tributum est inunctionibus cum eius unguento eo modo institutis, quo prudenti, ac subinde interposito remedii usu, calidis balneis, ubi expediant, subinde adhibitis, ac non naturalibus rebus provide usurpatis prohibeatur, ne effluat saliva, ne alvus solvatur, neve urina, aut sudor nimius concitetur. Ille itaque modus admittitur, qui non omne quidem consuetarum excretionum incrementum excludat, ut sibi proponebant, qui methodum Extinctionis, ut loquuntur, primum sequuti Hydrargyrum in corpore admissum quamdiu retinere curabant, at qui ita affert, ut os leviter afficiatur, quin salivae fluxus accedat,

alvus aperta servetur, ac naturalis e cute exhalatio assidue incitata etiam sub specie undique erumpentis levis, nec unquam magni, profusique sudoris facile prodeat. Haec enim medendi ratio ideo tutior, atque utilior visa est, quod, dum permittit exitum rerum omnium, quae sive ad interius susceptum remedium, sive ad syphiliticum virus adhuc haerens, sive ad particulas eodem corruptas pertineant, necessario debent ad salutem excerni, una praecavet, ne ocyus, quam par est, Hydrargyrum foras propellatur, aut saltem vim suam ad organa, quae excernunt, propere deducat, reliquis, penitioribusque partibus intactis, aut non satis affectis; tum incitatis, non effusis naturalibus corporis exinanitionibus prospicit, ne aeger maciem contrahat, ac maius virium detrimentum patiatur.

1098. Hinc cum tot commoda hanc mercurialis unguenti adhibendi rationem non solum polliceri, verum etiam in syphiliticis exerere, eosque tutissime sanare Clinici cognovissent, omnes fere in syphilide curanda magni habuerunt, ac plerique reliquis methodis leniorem, efficaciorem, tutioremque iudicarunt, imo nunc etiam innumeris curationum exemplis suffulti iudicant. Nec quidem immerito hanc sententiam defendere videntur, cum nostra etiam aetate ubique locorum Proceres Artis doceant apte institutam cum unguento mercuriali curationem syphilidem etiam confirmatam, diuturnam, gravioremque radi-

citus tollere, sine ullo interdum, aut levi detrimento virium evellere, nullam noxam post se relinquere, non nimiis, severioribusque legibus aegros obligare, imo non raro eos reddere sanitati, qui ab Hydrargyro alia ratione diu usurpato nullam, aut exiguam opem acceperant.

1099. Quae cum ita se habeant, et mihi pariter quam plurimis experimentis, observationibusque comperta sint, quas vel ipse institui, vel a Clinicis magni nominis vario item loco auspicato institutas vidi, nescio eos probare, qui huic medendi rationi student omne praetium adimere, quasi plena discriminis, taedii, molestiarumque, raro efficax, ac saepius ambigua generatim negligenda, aut saltem vix aliquando usurpanda esset. Quae enim ad criminandum unguenti illiniti usum proferunt, vel solum eorum methodum respiciunt, qui eius ope copiosum, ac diutinum salivae fluxum proritant non levi, ut vidimus (§. 1093. et seq.), aegrorum detrimento, vel tantum ostendunt inunctiones nec singulis aegris ob peculiares caussas convenire, nec in quovis casu aliis Mercurii administrandi rationibus antecellere, vel demum innuunt, quibusdam regulis, animadversionibusque neglectis, quas huius remedii inunctio exigit, hanc inutilem, aut parum proficuam, aut periculosam, noxiamque evadere.

1100. Et re quidem vera, quae etiam ex Ill. Fritzio proferri solent ad vituperan-

dam curationem inunctionibus susceptam non alias caussas agnoscere mihi videntur, ac proinde eius rite institutae usum non excludere, aut multum limitare. Quae enim incommoda, et damna idem Auctor unguento tribuit, generatim non remedio, at Artifici vitio vertenda sunt, qui apposito eius usu nescivit salivae fluxum avertere, aut moderari, tam valido medicamento nimium indulxit, vel non rite confectum unguentum illiniendum praescripsit, vel diaetetica auxilia neglexit, vel demum huic curationi eos subiecit, quorum res conclamata erat, aut corporis, vel aegritudinis natura aliud mercurialium remediorum genus requirebat. Quae enim alia, nisi ex istis eruatur, poterit caussa assignari adductae criminationis, si inunctionibus quotidie Aegros cito, tuto, atque iucunde curamus, quin scilicet tremores, vigilias, artuum cruciatus, oris ulcera, ossium cariem, maciem, ac totius corporis infirmitatem, quae alia mala adducat, ex iisdem sequantur, quin saliva generatim moveatur, aut saltem eius profluvium contingat, quin diarrhoeas, et colicos dolores suscitet, quin curationem morbus plerumque respuat, ubi ligamenta, atque ossa invasit, aut debiles, stomacho parum firmo praediti, et graciles eam alienam experiantur? Multiplici sane experientia suffultus, quae summam utilitatem curationis cum unguento mercuriali institutae evincit, non alias possum oppositae sententiae caussas assignare, dum interea existimo, non solum

aliis hactenus compertis methodis Mercurii usurpandi generatim posthabendam non esse inunctionem caute, apteque usurpatam, imo forte omnibus in syphilide curanda efficaciorem, tutiorem, leniioremque cum Ill. SWEDIAVRIO (*a*) iudicandam, qui tam aurea praecepta, et tutissima iudicia nobis exhibet sequenda, cum syphiliticis medemur, ut modum non credam excedere, si existimavero eiusdem sententiam amplecti idem esse, ac quod rationi, atque experientiae consentaneum est amplecti.

1101. Ut autem prospere linitus mercuriales cedant, ac vota Medicorum expleant, non pauca servanda sunt, quorum alia unguenti compositionem, illiniendi modum, tempus, ac quantitatem, alia aegri naturam, ac proprietates, alia morbi vim, diuturnitatem, complicationem, atque effectus respiciunt. Quamobrem cum haec a me omitti non possint, a quibus omnis remedii efficacitas pendet, iuvabit singula tradere. Primum igitur monebo, nonnisi purissimum *Hydrargyrum* in unguenti compositione recipiendum esse, ne alienis partibus, ac speciatim *Plumbi*, aut *Bismuthi* admixtum eas in unguentum deferat, ac dein in corpus, cui illinitur, ad noxam deducat. Sit proinde vel ex *Sulphuro hydrargyri rubro* seu Cinnabari petitum,

---

(*a*) Practical observations on the Venereal Diseases. Thied edition.

quod revivificatum vocant, vel distillatum, atque istud cum recentis pinguedinis suillae, vel, si tempestas calida sit, ne tam facile diffluat, ovillae, seu hircinae pari generatim quantitate admisceatur. Generatim inquam, nam interdum pro diverso Medentis consilio ad tertias tantum Hydrargyrum pinguedini probe lotae, ac purae additur, aut cuique materiae, qua ipsum subigendum videatur. Quando enim aut recens non suppetat pinguedo, aut facile, Syrio saeviente, rancorem contrahat, aut cutis exsquisitio sensu praeditis illiniendum sit unguentum, cum butyro seu oleo e nucleis *Theobromae cacao* (§. 321.) apte educto, aut cum mucilaginibus ex Gummi Arabico, aut Altheae radice confectis commodissime Hydrargyrum unitur. Secus rancidum, aut terebinthinam, ut olim fieri consueverat, habens unguentum cutim laedit, rubore suffundit, atque ardorem, pruritum, et pustulas suscitat, unde nec satis protrahi linitus possit, nec facile absorberi, atque ulterius traduci.

1102. Tamdiu vero Argentum vivum adipi, aut cuique materiae assumptae in mortario lapideo admiscendum est ligneo pistillo, usque dum oculorum acies, vitrea etiam lente adiuta, nec minimum in unguento globulum detegat. Interea tunc ab opere cessandum non est, at in eo aliquot horarum spatio persistendum, ut diutius subactum metallum non tam facile postea ab adipe secedat, quemadmodum post aliquod tempus

evenit, nisi etiam ideo diutissime pergendum sit, ex quorundam iudicio, ut hoc modo metalli in calcem conversio magis adiuvetur. Sane quo diutius subinde teritur unguentum, eo melius, atque efficacius vel olim Medici iudicabant. Ubi autem sat datum operi videatur, optimum est Pharmaciae praeceptum, quo statuitur lapideo adhuc vase inditum frigido loco unguentum, (quod rectius Unguentum Hydrargyri, quam *Hydrargyrum sebinum* vocandum videtur, cum non semper ex animalium pinguedine coalescat) detinendum esse, ne cito adeps rancescat, neve aeris calidi vi liquatus metallum deserat, hoc ad fundum vasis subsidente. Quare, ne utrumque accidat, recte agunt ii medicamentarii Artifices, qui nunquam diu, maximeque aestate, paratum servant unguentum, adipe praesertim suilla confectum, ac, dum curant non multo ante praeparatum aegris ex Medicorum praescriptione suppeditare, solent non prius e vase eximere, iisdemque tradere, quam ipsum iterum pistillo admiscuerint, ac certo cognoverint pristinum omnem nexum inter metallum, et adipem hactenus superesse.

1103. Neque minorem curam ipse inunctionis modus exigit. Cum enim moliendum sit, ut illinitus Mercurius facile, copioseque absorbeatur, ac postquam fuit ad universum vasorum genus, et penitiores quosque corporis maeandros delatus iterum ex cutis spiraculis, aliisve locis exhalet; quaerunt Medici

num

num hocce suctus, circuitus, atque exhalationis opus Artis auxiliis, quibusque, generatim adiuvandum sit. Sunt enim qui satis esse credunt summam cutim lotione, cui aliquid saponis additum sit, ab omni sorde abstergere, ac paullo ante inunctionem mediocres, vel nudis manibus, vel pannis laneis calefactis frictiones instituere, dum contra alii calida balnea in omni fere casu utilissima, ac pernecessaria existimant. Quamquam neque isti inter se, quo ad tempus, rationem, et numerum eadem adhibendi plane conveniant. Quidam enim arbitrantur sufficere, si balneum aeger iis tantum diebus ingrediatur, quibus illiniendum Hydrargyrum est. Alii aliquot diebus, antequam auspicetur prima inunctione curatio, balneorum usum ita esse praemittendum praecipiunt, ut aegri pro varia eorum natura, et virium conditione, nunc minora numero, nunc maiora usurpantes, raro tamen, ex ASTRUCII sententia, citra decem subsistant, aut ultra viginti adscendant. Quidam denique non praemittenda tantum iubent rigide balnea, verum etiam toto curationis tempore interponenda, imo, eadem absoluta, ut mali, et Mercurii reliquiae abigantur, usurpanda esse contendunt.

1104. Nec praeterea qui usui balneorum tantopere favent, iisdem eodem modo indulgent. Nam nonnulli suadent aegris, ut solum alternis diebus in balneum descendant, atque in eo non ultra dimidiam horam resideant usque ad umbilicum, non ultra, dum alii et quavis

die, tum semel et iterum, tum ad sesqui-horam saltem totum corpus, capite excepto, mergendum, et fovendum esse praecipiunt. Nec desunt qui velint puram aquam ad balneum expedire, dummodo aeger subinde in eo haerens peniculo, aut alio quovis modo artus, aliasve partes frictione exerceat; contrarium docentibus aliis, qui medicatius balnei genus requirunt, atque in eo omnimodam quietem imperant. Unum itaque est in quo omnes consentiant nunquam scilicet balnei temperie gradum excedere debere, quem numero vigesimo quinto Reaumurii Thermometrum designat; quando tamen tepidum expediat. Sunt enim, qui laxitate corporis presente, cum adhuc balneo utendum credant, frigido tunc locum esse existimant; praesertim si Mercurio mederi iis oporteat syphiliticis, qui una morbis obnoxii sint, quos strumosum virus infert.

1105. At caussam non assequor, ob quam de hac re tantopere inter se Medici dissentiant. Cum enim omne auxilium, quod supervacaneum est, nocuum sit, nec quidquam sit in aegris, quo ad morbi, et corporis conditionem, tam perpetuum, quod saepe non proprium sibi vindicet medendi genus, omnem dissensui occasionem praecludere mihi videtur ea sententia, quae constituit, non ex generali morbi natura definiendum esse, sed ex singularibus eiusdem effectibus, atque aegri proprietatibus speciatim eruendum, num balnea usurpanda, an contra non adhibenda

sint. Eadem enim tutissima rerum magistra experientia, quae docuit temere olim Medicos syphilidis curationem, quae sive inunctionibus, sive aliis remediis sit suscipiendam, perpetuo auspicari consuevisse sanguinis missione, atque alvum ducentibus medicamentis, (quae, nisi sanguinis copia, aut metus inflammationi praesto sit, vel cacochylia adsit, non conveniunt, evidenter nocent, et futurae remedii actioni officiunt), docet quoque balneorum usum Hydrargyro tum praemissum, tum interpositum pari discrimini obnoxium esse.

1106. Et re quidem vera eiusmodi discrimen, quod puto cuique non leviter in curandis syphiliticis morbis exercitato maxime obvium, ubi balneum promiscue admittitur, quam facile se prodit. Vidi enim eos, quorum corpora erant exsucca, adstricta, ac rigida, vires vel adhuc constabant, vel supererant, cutis maculis, pustulis, aliisque eruptionibus corripiebatur vel ex syphilide, vel ex quolibet alio corporis vitio, quod laxitas non foveret, ac natura ob irritationem, stricturam, et rigiditatem parum, vel difficulter ex universa cute perspirabat, et morbus nondum inveteraverat, ac praesertim cum rheumaticis affectibus una saeviebat, a praemissis aliquot tepidis balneis, ac subinde curationis tempore interpositis, sive exterior, sive interior Mercurii usus instituendus esset, aut iam coepisset, non mediocrem utilitatem percepisse. Balnei siquidem laxandi, demulcendi, ac temperandi facultatibus cur non referam in hisce aegris

sub largo etiam usu remedii nullum insequutum salivae fluxum, nullam ortam febrim, nulla instantis alicubi inflammationis indicia, vigilias pariter nullas, atque alia, quae, cum abessent, remedio non obfuerunt quominus ipsum cito, tuto, ac fere iucunde syphilitica mala abstergeret?

1107. Contrario autem modo rem evenire alias observavi, et quidem nimis saepe ob frequentem, imo communiter servatam, vel nuper apud nos, consuetudinem, praeparationis, et curationis caussa balnea tepida usurpandi, quasi sine his nunquam tutus, atque innoxius Hydrargyri intus, exteriusve adhibiti usus Syphiliticis cederet. Observavi, inquam, promoveri, non averti salivae fluxum, atque interdum augeri, appetitum tolli, coctionem ciborum retardari, ac subverti, convulsiones insurgere, interdum febrim accedere, maiorem virium debilitatem sequi, ac mala omnia non minus a lue, quam a dyspepsia, et mobilitate profecta invalescere, unde iniucunde, aegre, et lente admodum, nec sola mercurii virtute sanari potuerint syphilide implicati, qui nimis molli, et laxo corporis habitu praediti, graciles, mobiles, languidi, et natura debiles morbi vi, aut diuturnitate debiliores evaserant.

1108. Pronum ex hisce, ni fallor, erit intelligere prudentis, ac periti Medici esse Syphiliticorum curationem, quae cum Mercurio fit, balneis tepidis ita saepe inchoare, ac promovere, ut saepius tamen, saltem apud

nos aegri ab iisdem abstineant, aut quam paucissimis utantur. Cum enim in aegris, ac potissimum in foeminis, quibus syphilide occupatis medicina hic loci facienda sit, boni succi inopia, debilitas, et laxitas plerumque occurrant, eiusmodi balnea iisdem sunt, quemadmodum vidi, adeo aliena, ut magis infirmatis viribus morbum deteriorem reddant, et curationis Hydrargyro commissae modum omnem subvertant. Memini in hac re Summum Praeceptorem BURSERIUM olim fatentem more magnorum Virorum magnarum rerum fiduciam habentium primas, quas hic susceperat, ut ad Clinicen Tirones amplissime institueret, Syphiliticorum curationes, quibus ipse interfui, ideo non ea promptitudine, et felicitate sibi contigisse, quam alibi expertus fuerat, quamque ibi deinceps est consequutus, quia pro coeli, et corporum ratione balneis nimium indulxerat.

1109. Quare nisi ea occurrant, quae iam proponebam (§. 1107.), aut singulares aliae caussae presto sint, quae necessaria, aut utilia reddant balnea, praestat ea omittere, aut si adhibenda sint, una, aut altera die, qua illinitur Mercurius, ita usurpare, sive generalia, sive partialia sint, ut cutim abstergant, eam ad resorbendum invitent, nec protracta relaxent. Hinc rursus oportet partem, cui unguentum admovendum est, calidis, ac asperulis pannis, aptisque peniculis confricare, pilis prius abrasis, ne secus sub continuata frictione tam saepe detorti irritationem mo-

lestam inferant, ac pustulis etiam, ut recte SWEDIAVRIUS animadvertit, postea erupturis caussam praebeant. Hoc modo membrum, quod illiniendum sit, balneo, aut lotione, frictionibusque ad resorbendum aptius redditum, nisi aer cubiculi, quo infirmus degit, tepeat, et vernet, prope ignem inungitur; curando, ut nunc ad dimidiam, nunc ad unam horam, pro maiori, aut minori remedii copia, quae insumenda sit, rite suscepta inunctio protrahatur.

1110. At duo iam sentio a me siscitari, quodnam scilicet membrum expediat primo illinire, et num praestet revera, ut nuperrime iterum traditur, Aegri potius, quam Ministri manu inunctionem perfici. Porro ad primam quaestionem, quod attinet, etiamsi quidam velint pedis alterutrius dorsum, alii coxae, aut surae interiorem partem initio inungendam, quidam eam generatim, in qua lymphatica vascula abundant, ac propriora sunt, alii inferiores tantum artus illiniendos esse praecipiant toto curationis tempore, dum reliqui et superos cum caeteris pariter locis, capite excepto; ego tamen existimo a quovis singulari casu consilium esse petendum. Quamobrem solummodo monent Therapeutae curandum generatim esse, nec ob unam quidem rationem, ut quavis vice non eodem, at diverso loco, et vario item membro unguentum illiniatur, quod eo magis extenditur, quo eius inungendi quantitas maior est.

IIII. Alteram quaestionem quod respicit non equidem iis assentior, qui generatim Aegri, non Ministri manu frictionem peragendam volunt, cum praesertim hoc modo ea pars unguenti, quae a membro inuncto forte non recipitur, a resorbentibus ipsius cutis meatibus attrahatur, unde nullum fiat remedii dispendium. Nam, praeterquamquod, etiam si aeger hoc velit opus suscipere saepe absolvendo impar est ob virium debilitatem, ob nimiam, quam patitur, molestiam, atque ob corporis obesitatem, nonne alterius manu indiget, quando scapulas, nates vel dorsum pro re nata expediat inungere? Cum praeterea saepe viderim foeminas, et graciles Viros positu corporis, ac labore fessos citius a frictione cessare, quam conveniat, vel nimium, ubi ad horae spatium protrahenda sit, defatigari, tum plerosque observaverim maxime agrestes, et rudes, tam negligenter unguentum linire, ut non parum eius insumatur, generatim praecipio illiniendum Hydrargyrum Ministri manu, non quidem nuda, ut minus prudenter fieri alias consueverat, et minus recte ASTRVCIVS arbitratur (*b*), at manica ex suilla vesica probe munita. Hoc enim dum praecavet tegmen, ne ob susceptum partim remedium ipse postea Minister eius incommoda sentiat, prohibet etiam, ne hic quoque in-

(*a*) Op. cit. lib. II. Cap. XII. pag. 164.

considerate partem interdum non exiguam absumat, quam omnem in aegri salutem impendendam Medicus consulto iudicaverat.

1112. Qua autem diei parte utilius aggrediatur inunctio res est, quae aliquid etiam habet quaestionis. Sunt enim qui ideo matutinis horis postquam experrectus est aeger iam absoluta omni coctione, et apte somno refectus, suscipiendam esse praecipiunt, quod tunc temporis viderit Ill. CRUIKSCHANKIUS lymphatica vasa absorbtionis opus celerius, atque efficacius absolvere. Alii vero ingruente iam nocte, una, aut altera hora antequam somno tempus legere soleat aeger, praesertim commodius ideo suscipi frictionem arbitrantur, quod observent ob diutinam in lecto moram, non solum, magis protracta quiete, et vi caloris, verum etiam somni beneficio melius, et lenius illiniti iam remedii suctum, iter, ac diffusionem in universum corpus promoveri. Verum non est, cur de hac re tantopere inter se Medici disputent; Etenim ubi tempus legatur, quod ab assumptione ciborum distet, atque aegri voluntati, rebus, vel civilibus necessitatibus commodius videatur, inunctio satis absorbetur, et sine ulla difficultate in corpus remedium defertur, ubi caetera nunquam fuerint neglecta, quae eiusdem ingressum, atque iter maxime promovet.

1113. Frictione absoluta oportet illinitum membrum lineis panniculis tegere fascia etiam superinducta, nisi eos femoralia, aut tibialia

induta reticeant, quin tamen probem eorum consilium, qui pannos, fascias, et quaecumque indumenta prima linitus vice adhibita subsequentibus etiam inunctionibus usurpanda praecipiunt, ut mundis nunquam toto curationis tempore reficiantur. Ea enim non solum nimis sordidata unguenti particulis rancorem adeptis, verum etiam manantibus tetris e corpore effluviis onusta, pravo halitu, et forte non innocua foeditate iis fastidium movent, qui in corporis cultu munditiei apprime student, ne dicam odore, quem emittunt, suspicionem movere, aut revelare aliis prope aegrum versantibus genus curationis, cui is se subiecit, quando summopere intererat omnem eius notitiam iisdem prudenter subtrahere. Quo quidem fine ad Medici officium pertinet, rectissime Ill. SWEDIAVRIO observante, aegros monere, ne horologia, catenulae, torques, anuli, monilia, globuli, fibulae, aliaque ex auro ornamenta tunc temporis gestentur, quia istis inductus alienus, albidusque color ex Mercurio, quod vel corpus non recepit, vel receptum demisit, non semel enuntiavit, quod iustae, ac necessariae Medici taciturnitati concreditum erat.

1114. Hinc non raro pars etiam Artificiis est ad omnem metum vitandum, ne arcanum curationis genus prodeat, Aegris permittere, ut, absoluta frictione, membrum, quod secus, donec altera fiat inunctio, abstergendum non esset, calida aqua, cum qua sapo remixtus sit, eluat, atque ab omnibus remedii

reliquiis mundum efficiat. Caveat interim Artifex, quando id permittendum Syphiliticis videatur, ne obliviscatur duplicis regulae, quam in hoc casu servandam esse monuit Astrucius (a) dum inquit: „simul atten- „dendum est. 1. Ut paullo maior obliniatur „unguenti dosis frictione qualibet; 2. Ut „dosis oblita paullo diutius affricetur, donec „unguentum videatur penitus exarescere, „atque adeo duplici illa via pensetur quid- „quid de remedii efficacia detrahitur prae- „propera unguenti detersione.

1115. In quovis tamen casu ex communi Clinicorum sententia iuvat aegrum peracta inunctione lectum petere, atque in eo, si manendi necessitatem morbi, aut virium ratio non fecerit, duas saltem horas transigere, ut actio medicamenti adiuvetur; tum frigus summa cura vitare, et temperatum, non quidem calidum, aestuantemque aerem respirare, sicuti alias usu venire consueverat; ac proinde si hyems saeviat, subitisque vicissitudinibus caloris, et frigoris obnoxia tempestas sit, amplo, et temperato cubiculo se continere; secus iis horis prodire, quibus aer tepet, nec humore obsidetur, ut etiam rite institutae ambulationis, aut vectionis commoda multa tectus veste experiatur, quibus recreatis corporis viribus, animoque una rerum varietate,

(a) Loc. cit. pag. 165.

Amicorumque colloquiis oblinito ; dum ex remedio futura praecavetur infirmitas, prospicitur quoque, ut, quae ex morbo iam invaluit, non augeatur, imo ocyus queat emendari, qua celerior, tutior, atque iucundior curatio succedat.

1116. Post primam autem frictionem quando altera instituenda sit, quando rursus reliquae, quoque temporis intervallo inter singulas servato, adhibendae sint, num generali praecepto queat constitui, solet a Therapeutis, siscitari. At perperam, cum in hac re nihil unquam esse posse, quod non pluribus exceptionibus obnoxium sit, Clinici passim observent, ac communiter doceant. Quare satis erit monuisse generatim imitandos non esse, neque eos, qui inunctionibus ita utuntur, ut confestim quotidie, vel bis die usurpato unguento, non prius eius usum intermittant, quam salivae, vel alvi, vel sudoris copia nimia effusa plures aerumnas inferat, quin morbum tollat, aut leniat, neque eos pariter, qui certius praecavendae, sive ex ore, sive ex aliis locis, exinanitionis caussa, non ex singulari, quae vix occurrit, morbi, aut aegri natura, adeo rariores inunctiones praescribunt, ut perpetuo quavis quarta die, interdum quinta, et septima solummodo adhibeantur, at eos generatim sequendos esse, qui media quodammodo via tutissime insistunt.

1117. Soleo proinde, ubi semel illinito unguento nulla tunc se prodeant phaenomena,

praescribere, ut tertia, aut quarta die iterum novus linitus fiat, hocque instituto et certior factus nullam ex remedio noxam futuram, et nullum imminere salivae, aut cuiusque profusae excretionis metum, praecipere, ut unguentum alternis diebus inungatur. Hisce autem praestitis, ubi cuncta ex voto procedant, ac consuetis corporis egestionibus recte incitatis nil prohibeat, quominus intendatur remedii vis, imo cum eo festinandum esse morbus iubeat, soleo rursus aegris suadere, ut quotidie aliquot dierum spatio inunctiones usurpent, sive balnea subinde interponantur, aliave remedia, sive nulla pro re nata tententur. Tunc vero, una, aut altera die omisso remedio, soleo iterum ad ipsum redire, atque ita nunc alterne, nunc quavis die illinire, donec omnis morbus non solum discussus appareat, verum etiam, continuatis tunc aliquot frictionibus, sublatus omnis metus videatur, ne postea repullulet, quemadmodum ex praecoci omissione remedii saepe accidit.

1118. Hic in secunda curatione ordo utilis est, secus in ea, quae minus auspicato cedat. In hac quippe ad instantem fluxum salivae avertendum, vel natum cohibendum, ad reliquas nimias compescendas exinanitiones oportet primum inunctionem intermittere, eam longiori inter unam, et alteram intervallo repetere, atque in usum vocare, quae salivam prohibeant, fluentemque moderentur, quae postea indicabo, nunc balnea, nunc alvum ducentia ore assumpta, vel in alvum infusa,

nunc quae sudorem invitant, nunc quae urinas movent, nunc quae roborant, aut adstringunt medicamenta provide adhibere. Horum autem beneficio, ubi excitatae inunctionum potentia molestiae, ac turbae prorsus conquieverint, intermissa suscipiatur quam caute curatio, quae sane nunquam cautior esse debet, quam ubi in aegro instituitur, qui alias internis, externisve mercurialibus remediis medicinam sibi fecerit, mota praesertim saliva, qui pravo sit corporis habitu, quique debilitate langueat, atque aliis una morbis cum syphilide complicatis laboret.

1119. Caeterum frictionum numerum, quantitatem unguenti, quae recipienda quovis linitu sit, vimque ipsius integram, quae toto curationis tempore insumere conveniat, effectus remedii caute dati se prodeuntes tutius alia quavis ratione determinant. Scire nihilominus expedit eam generatim regulam servari ab iis, qui prudentius se gerunt, ut primo dimidiam unguenti drachmam, deinde unam, postea, si cuncta rite accidant, duas, ac rarissime, ubi nimirum casus urgeat, nec ullum ex remedio festinanter adhibito discrimen subsit, tres drachmas singulis vicibus obliniant. Iuvat quoque monere quod generatim, quo ad frictionum numerum, animadversum est, eum scilicet in levi, atque incipiente aegritudine ab octo ad quindecim, in gravi, nec recenti a viginti ad triginta, aut quadraginta, in graviori, et diuturna ad quinquaginta, imo in ea, quae gravissima, atque

inveterata pluribus, ac durioribus partibus insideat ad sexaginta, et ultra aptis intervallis extendi.

1120. Quamquam non desunt, qui aliam in hac re sequendam regulam proponant veluti tutam, atque usui aptissimam, qua statuitur primis frictionibus, quarum potentia morbi ipsius affectus non parum iam remisere, (quod circa quintam inunctionem in levi syphilide, circa duodecimam in gravi, et circa decimam septimam in gravissima solet accidere) tot esse adiungendas, ut prorsus cessent, quot mitigationem attulerunt; deinde, istis non amplius se prodeuntibus, totidem alias addendas, ne repullulent, quae omnium inunctionum, quas hactenus aeger usurpavit, fere dimidium aequent. Hinc sequitur non posse absolute constitui ab morborum, aegrorumque praesertim multiplicem differentiam unguenti quantitatem ad syphilidem radicitus evellendam necessariam: unde Therapeutae satius ducunt, eam duobus finibus includere, quorum minimum duae, tresve unciae unguenti, maximam quatuordecim determinent.

1121. Hactenus, quae unguenti praeparationem, atque usurpandi modum respiciunt; nunc reliqua, quae circa morbi indolem, atque aegri proprietates, quo ad inunctiones, animadvertenda sunt, brevissime expediam monendo linitus mercuriales, non solum reliquis Hydrargyri administrandi rationibus generatim tutiores, efficacioresque in syphilidis curatione iudicari, verum etiam singulis istis

quibusdam in casibus speciatim anteponendas Clinicos plerosque iudicare. Quando nimirum non exigua Hydrargyri vis in humanum corpus intra breve spatium deducenda sit; quando praecavendum sit, ne remedium in ventriculum, intestina, innexaque viscera impetum faciat; quando extimae corporis partes primitus afficiendae sint, atque ad ea privatim loca derivari debeat actio remedii, quae cum externo lymphaticorum genere proxime communicant; quando, penitiores licet partes, durioresque, ut ligamenta, atque ossa, syphilis invaserit longum, innoxium, validumque curationis genus requiritur, nec remedia alia satis prosint, aut ferri commode possint; quando horum actionem, efficacitatemque externo etiam Mercurii usu oporteat adiuvare, quemadmodum non raro accidit; quando denique alia irrita cesserunt remedia, aliave propria occurrant, quae tradere Clinicorum est.

1122. Ad eorum etiam officium pertinet qui de Syphiliticis morbis cognoscendis, ac curandis speciatim disserunt exceptiones tradere, quibus obnoxia inunctionum methodus censetur. Ego unum monebo, incidere utique casus, in quibus ob exquisitum cutis sensum, ob propriam aegrorum naturam, genium, aliamve caussam, inunctio nec possit recte institui, nec suscepta prosit, imo aliena, ac nocua evadat, aliosque etiam occurrere postea indicandos, in quibus huic medendi rationi reliquae praestent, quin tamen credam a quibusdam adductas exceptiones tam mul-

tas, tamque magnas esse, ut contendunt. Non eas afferunt pectoris affectus, non morbi nervorum, non capitis aegritudines, non virium debilitas, aliaque mala, quae syphilis concitavit, vel ſoveat. Etenim ubi haec Hydrargyri usum non excludant, imo permittant, atque exigant, tantum abest ut inunctiones veluti periculi plenae, et reliquis medendi rationibus minus propriae, minusque utiles reiiciendae sint, ut contra ipsas cautissime usurpatas internis plerisque remediis tutiores, lenioresque cognoverim, ne modo proferam, quae in hanc rem abunde suppeditant observata complurium Medicorum, qui Syphiliticorum curationibus inclaruerunt.

1123. Hisce de inunctionibus prolatis, quas Hydrargyrum pingui, oleosa, mucosave materie subactum praestat, transeundum esset ad eos linitus, quos idem remedium alia paratum arte, ac plurimum mutatum nobis suppeditat. Sed antequam de his quoque dicam pauca praemittere iuvabit de alio externo Hydrargyri usu istis iampridem ad syphilidem curandam invecto, seu de Suffimentis ex Hydrargyri praeparatis, ac potissimum ex *Sulphuro hydrargyri rubro*, seu Cinnabari sumptis, quae non multo post, ac unguenti mercurialis utilitas in syphilidis curatione innotuit ad eandem aegritudinem vincendam in usum venerunt. Cum enim, animadvertente NICOLAO MASSA, ad scabiem sanandam, quae deterioris notae esset, Antiquorum quidam suffitionibus ex Cinnabari in ignem coniecto

erum-

erumpentibus usi fuissent, ii deinde Medici, qui syphilidem a cutaneis morbis natura, aut genere non differre putabant, eam pari modo aggrediendam esse iudicarunt. Quam ob rem hac medendi methodo syphilitica mala discutere, ac praesertim, quae graviora essent, atque aliquam potissimum corporis partem infestarent, veluti ulcera narium, bubones inguinum, gummi, tumores, atque exothoses, sanare Viri Artis usu insignes multo pridem tentarunt, ac Guaiaci, et Mercurialium remediorum internus usus invaluisset.

1124. Itaque cum tunc temporis non paucorum esset opinio e Cinnabari ignis actione Mercurium in tenuissimas moleculas resolutum instar halitus a resorbentibus oris, narium, et cutis vasculis exceptum, ac protinus traductum ad sanguinem fore, ut summa promptitudine, ac potentia in syphiliticum virus ageret, eiusque effectus submoveret, aeger in cubiculo admodum calido ita cistula lignea nudus includebatur capite prodeunte, ut, eo excepto, totum corpus subtus excitatae mercurialis suffitionis vim, praemissis interdum Aromatibus, experiretur. Ubi vero aliqua tantum corporis particula esset attingenda, ea solum obiicebatur halitibus, qui etiam naribus subinde attrahi solebant ubi ulcera mali moris eas detinerent. „Commen„dabatur, inquit SWIETENIUS (*a*), pro cu-

(*a*) Comm. in Her. Boerh. Tom. V. Edit. Paris, pag. 474.

„randa lue per Cinnabaris suffimigia, ut in „singulis dosibus adesset non minus, quam „uncia media Cinnabaris, nec tamen dosis „excederet unquam unciam integram. Tale „suffimigium adhibebatur quotidie; imo ali„quando bis de die prudentiores, qui hoc „tentabant, grana quindecim tantum adhibe„bant, et post triduum repetebant, per bi„duum abstinentes ab hoc suffimigio. Decem „grana pro dosi adhibebant tantum, ubi » per os, vel nares attrahi debebat vapor, ne » noxam inde contraheret pulmo ».

1125. Verum ex iis periculis, observationibusque acuratissime institutis, quas ad Suffitionum praetium constituendum in medium adduxit olim Astrucius (*a*), pronum erit cuique multigenas caussas eruere, quae hanc oblivioni iamdiu traditam medendi rationem, ne nostris quidem diebus efficere potuerunt, ut, cautius etiam suscepta, Medicorum fiduciam consequeretur. In illis quippe experimentis perspicue innotuit, istud curationis genus, et plerumque inefficax esse, quia lues totum corpus inficiens ei generatim reluctata est; et quam saepe ambiguum, quia intus suscepti mercurii quantitas constitui non potest, ac symptomata, quae sublata videbantur, se iterum non raro efferebant; et semper incommodum, quia aestu, anxietate,

(*a*) Op. cit. pag. 167. et seq.

sudore, aliisque modis plurimum aegris obfuit; et denique plenum discriminis, quia capite, pectore, atque interaneis valide perculsis, et laesis, convulsiones, tremores, apoplexias, dolores, praecordiorumque angustias, tormina, sudoris, alvique profluvia, lentam febrim, et tabem, atque alia teterrima mala ut plurimum intulit.

1126. Licet igitur Clarissimi Viri Alovettius, Doppetius, aliique, perspecta utilitate Suffitionum mercurialium ex antiqua etiam observatione in ulceribus malignis, pertinacioribusque, atque in ossium, et cutis morbis ex lue profectis, curaverint minus incommodum, minus ambiguum, minusque periculosum, atque una efficaciorem earum usum reddere, ac nonnulli rebellibus, contumacioribusque affectibus extirpandis par auxilium credant, imo caeteris potentius, quisque fere inter celebriores Clinicos, ab iisdem perpetuo abstinet. Num iure? Recte id fieri quidam non incelebres Scriptores denegant, quibus tamen ego nondum possum assentiri. Qui enim potero cum viderim in ozena, in ulcere tibiae peramplo, atque in diutinis artuum doloribus Cinnabaris suffimenta prudenter, diuque adhibita malum ne quidem mitigasse, quod linitus mercuriales iterum adhibiti sanarunt, cumque pariter videam Ill. Hahnemannium, quem plurimi facio, ex partiali suffitus mercurialis usu testantem ulceribus venereis primariis bubones, et luem totum inficientem corpus accessisse?

1127. Sed progrediamur ad caeteras rationes Hydrargyri exterius adhibendi, quae adhuc expendendae supersunt, ac primum ad eam, quam Ill. Vir ingenio, atque artis usu praestantissimus CIRILLUS non multis ab hinc annis, unguento cuti illinito ex *Muriate hydrargyri corrosivi*, seu Mercurio sublimato corrosivo confecto, Syphiliticorum commodo invenit. Quamquam enim nonnulli inter Italos, ac Gallos Medicos iamdiu memoriae reliquerint Mercurium Sublimatum ad modum unguenti oblinitum Syphiliticis opitulari; non est tamen, quod inventi laus CIRILLO detrahatur. Nam illi, ut CORTILLIUS, PARAEUS, RASTELLIUS, et LANZONIUS, quibus inventionis meritum referendum quidam arbitrantur, Argento vivo Sublimatum ope pinguedinis, aut unguenti admiscuerunt, ac BLANCARDUS vel eodem modo Sublimatum exterius adhibuit, vel eo cum aqua pluviali, quae summe nocuam virus potentiam aliquommodo infringeret, instar lotionis usus est.

1128. Itaque ipse Cel. CIRILLO meritum omne referendum puto, si haec medendi ratio Syphiliticorum rebus tuto, efficaciterque prospiciat, quae in eo est, ut unguenti compositi ex uncia adipis suillae cum drachma Sublimati corrosivi diligenti tritura ad duodecim horas protracta, qua intimior fiat partium admixtio, primum dimidia drachma cuti affricetur, deinde sequentibus diebus una, sesquialtera, ac demum duae, tresve iustis

intervallis obliniantur. Pedum autem plantas obliniendas maxime voluit Auctor, ut hoc modo sin minus promptius, saltem lenius a resorpto remedio corpus afficeretur. Censuit autem hoc modo adhibitum remedium innoxium esse, nullumque incommodum afferre; oscula inhalantium vasorum facile subire, et cuncta tuto, expediteque permeare; celerrime item operári, sive lentore humorum resoluto, sive veneno e suis sedibus expulso, atque ad extrema corporis, unde prodeat, traducto; Mercurio sublimato quocumque modo soluto, aut opiatis, oleosis, aliisve medicamentis admixto ideo praestare, quod nunquam exagitet, aut nervos couvulsione prehendat, aut ulcera, aliaque mala excitet, quae eius internum usum comitari censentur; ac movere plerumque sudores, interdum urinas, raro salivam, ac rarissime alvum, nullis etiam propinatis pharmacis, quae eius actionem ad unam potius, quam ad alteram corporis partem dirigant.

1129. Tradit rursus certam dosim, quae generatim syphilidi sanandae requiratur, constitui non posse, cum quibusdam in casibus Sublimati drachma, in aliis duplum, et ultra; hac methodo morbum radicitus exstirpari, quin reviviscat; glandularum vitiis, ulceribusque tam prompte mederi, ut existimandum sit eiusmodi remedium in scrophulis, ulceribus, ac viscerum obstructionibus ab aliis caussis illatis utilissimum fore, et revera esse quam saepe Ischiadis absolutorium;

nullam singularem corporis praeparationem eius usum postulare, proindeque quemque, si modum utendi noverit, eum posse suscipere, quin Medici, aut Chirurghi opera indigeat; ac tandem hanc syphilidis medendi methodum, sive eius securitas, sine iucunditas, sive celeritas spectetur, non modo aegris valde accommodatam, sed cognitis hactenus luem curandi rationibus longe esse opportunissimam.

1130. Adhuc CIRILLUS, cui utinam assentiri potuissent ii, qui nuperrime de syphiliticis morbis curandis disserentes eius sententiae non una de caussa obsistunt. Tunc enim tutissimo, efficacissimoque auxilio syphiliticorum rationibus apprime consultum fuisset. Interea eiusmodi sententiae osores, qui ei adeo sunt infensi, ut CIRILLI methodum nunquam vacuam discrimine, plerumque valde noxiam, ac morbo insigniter mitigando, atque evellendo perpetuo imparem acriter defendant, mihi sane videntur nimis praeiudicata opinione, aut partium studio duci, neque ab experimentis, aut saltem non rite, ac pluries susceptis, iudicium sumpsisse. Cum enim ipse pluries CIRILLI methodum in aegris sim periclitatus, tum primo duodecim ab hinc annis, tum deinde duobus insequentibus, Tirones ad Clinicen, tunc temporis instituens, possum sane multis observationibus suffultus eam opinionem, ni plurimum fallor, tuto interponere, quae dum media est inter

utramque sententiam, videtur quoque proxima, imo plane consentanea veritati.

1131. Censeo itaque eam medendi rationem non negligendam, quia ea una adhibita, quin alia interponerentur auxilia, quae eius actionem perverterent, aut ad peculiare aliquod excretionis organum ducerent, non paucis syphilide incipienti, aut confirmata, quae nondum inveteraverat, nec gravibus affectibus saeviebat, implicatis sanitas reddita est, blando sudore erumpente, interdum auctis urinis, ac rarissime mota mediocriter saliva; non eam improbandam ob nimis obvium vehementis, ac venenatae actionis discrimen, quia generatim nullum ex ea praesto fuisse incommodum vidi, nullumque periculum, dummodo tamen admodum irritabiles, emaciati, pectoris morbis dispositi, atque in cachexiam proni ab ea sibi temperent, quae secus aliena est, et nocua, etiam quando cum communi unguento facta inunctio noxa caret, et prospere cedit; ac non omittendam persaepe, ubi reliqua mercurialia remedia salivae fluxum moveant, qui sedulo vitandus sit, vel eo superstite Mercurius adhuc adhibendus sit, qui eam non augeat, quia salivae organa raro subire vidi, imo prae aliis remediis minus afficere hic loci quidam viderunt, atque inter caeteros Ill. Collega Rezia, quem amicitiae, et honoris caussa nomino, novissime observavit.

1132. Caeterum existimo gravioribus morbis syphiliticis submovendis istud me-

dendi genus apud nos generatim impar esse; ac speciatim linituum, qui cum Argento vivo pinguedine subacto fiunt, efficacitatem non attingere; quoniam non raro lues, aut grave aliquod ex ea malum superstes cum nullam curationem a Sublimati unguento diu adhibito accepisset, eam postea ab altero non aegre accepit. Puto etiam Sublimatum sic adhibitum ideo aliquo modo eiusdem interius dati agendi rationem aemulari, quod ubi profuturus sit, aut non inutilis est, celeriter leniat morbi symptomata, quin tamen saepe impediat, quominus ea, quae sublata perfectam curationem stimulabant, se iterum efferant. Arbitror rursus satis evictum, quod in usu huius medicamenti, non plantis pedum solummodo admovendi, (quae nec multum absorbent, nec quibusdam ob duritiem cutis, quibusdam ob nimiam sensilitatem, aut non ferendam titillationem conveniunt) sed aliis partibus applicandi, perpetuo animadverti in glandularum, viscerumque obstructionibus nil proprii habere, quo mercurialibus caeteris unguentum istud antecellat. Denique concludo longe abesse ut Sublimatus corrosivus hoc modo a lymphaticis receptus, atque ad sanguinem, ac quaelibet loca advectus eos exerat effectus, quos a summa eius tenuitate, ac potentia, ubi ore assumptus sit, Medicorum quidam sibi pollicentur.

1133. Nunc vero quid de altero externo Mercurii usu dicam, cuius innocuae agendi rationi, atque efficacitati in syphilidis cura-

tione nuper eiusdem Auctor Ill. CLAREUS primas detulit, ac plurimum quoque Viri magni nominis CRUIKSCHANKIUS, atque HUNTERUS tribuerunt? Multum profecto tribuunt huic rationi, methodum Absorbtionis vocatae, qua *Muriatis hydrargyri sublimati dulcis* seu Calomelani, aut Mercurii dulcis septies sublimati pauca grana cum saliva soluta, aut butyro excepta, ac gingivis praesertim, oris labiis, aut interioribus genarum parietibus affricta, vel alias vulvae labiis in Foeminis, glandi in Viris, aliisve partibus oblinita summe proficua censentur, quotidie, aut alterne, pluribus diebus, ita adhibita, ut aliquot scriptula, aut drachmae curationis tempore insumantur. Huic interim methodo non plus ipse tribuam, quam sibi velit summa observationum, quas, alia occasione singillatim proponendas, decem ab hinc annis absolvi.

1134. Cum enim tum temporis varia esset de ea medendi methodo, quam eius Auctor Mercurio cuicumque intus dato longe praestare, atque ipsis mercurialis unguenti inunctionibus commodiorem, certioremque esse tradiderat, apud nos opinio, ex nullis licet experimentis deducta, aut solum petita ab Exterorum quorundam fide, qui inutilem, ac noxiam dicebant, e re mihi visum est eius efficacitatem in aegris diutina investigatione experiri. Praesertim cum morborum historiis, quibus innitebatur nomen remedii, nondum in medium prolatis, huius methodi hostibus non

observationum praesidio, at sola, etsi gravissima sit, HUNTERI, ac CRUIKSCANKII auctoritate silentium liceret imponere. Quare hunc laborem alacrius suscepi, nec eiusdem penituit.

1135. Possum siquidem nunc constituere Calomelanum, vel Mercurium dulcem, vel quodvis *Oxydi hydrargyri* seu calcis mercurialis genus gingivis perfricatum, et saliva solutum ad sanguinem insalutato ventriculo traduci, quin tamen inde consequatur salivam specifica virtute pollere ad Mercurium solvendum, eiusque in sanguinem iter promovendum, unde ex eadem singulari salivae in Mercurium actione maiores ex eo adhibito effectus debeant expectari. Possum pariter nunc denegare Calomelanum hac via intromissum ideo tutius, et celerius syphiliticum virus corrigere, vel educere, quod a salivae admixtione novam assumens proprietatem, ac resolutum, metalli indolem, et formam postea recuperet, secus quam possit evenire, quoties alia via, ut CLAREUS putat, sanguinem subierit. Vidi quippe idem remedium variis corporis locis impositum, atque a perviis cutis vasculis absorptum salutem aegris celeriter attulisse, etiam si nullum salivae fluxum ut plurimum concitasset.

1136. Neque huius virtutis in Mercurio incrementum ex admixta saliva evincit una CLAREI observatio, in qua ex duodecim granis adhibitis visum est tam diu, tamque copiose, atque utiliter fluxisse salivam, ut

morbus penitus tolleretur. Quis enim est, qui ignorat id ipsum ex dimidia, vel una tantum drachma unguenti mercurialis cuti obliniti interdum contigisse. Hoc sane, ut reliquos casus, qui in Medicorum libris indicantur, praeteream, Ill. ac Cel. Eques BRAMBILLA non semel observavit. Caeterum quemmodo saliva in aegris Hydrargyrum sumentibus se habeat non est cur modo quaeram, quemadmodum non est, cur probem, perperam contendere CRUIKSCHANKIUM, quae d. Calomelano resoluto, ac restituto docet, ei sic adhibito, non ipsi deglutito, aliisve Mercurii praeparationibus ore assumptis propria esse. Satis igitur erit animadvertere Cel. Virum restitutionem veluti propriam Calomelano minus tuto arguere ex mutatione coloris, quam metalla aegrorum, qui eodem remedio gingivis affricto utuntur, corporibus applicita interdum subeunt. Nam hoc phaenomenon, inquit, extra corpus humanum solus praestat Mercurius adhuc metallicam formam habens, non sublimatus: quod quidem susceptis experimentis non respondet. Oportet enim hoc candide fateri, quod mihi novissime institutis periculis innotuit, etiam si plurimum infirmet coniecturas, aut illationes, quas iam (§. 1077 et seq.) deduxeram. Oportet, inquam, non reticere nummum ex cupro in Sublimati solutione demersum, vel cum eiusdem pulvere affrictum albedinem induisse.

1137. Verum, ut redeam ad illa, quae ex observationibus proxime consequuntur lu-

culenter arbitror recte Cruikschankium exi- stimasse, Calomelanum iuxta Clarei metho- dum ad sanguinem confestim delatum facilius et certius penitiora corporis permeare, et lenius operari, quam si in stomachum proti- nus demittatur. Hoc enim in casu cum ven- triculi, intestinorumque tunicas facile irritet, atque interdum non mediocriter stimulet, non modo ex alvo magna ex parte prodit, sed interaneorum dolores suscitat: quod ab exigua etiam eiusdem vi in sensilioribus ma- xime Foeminis, et Viris non raro experimur. Qua quidem de caussa fieri non potest, quin non commodissimum evadat, ac reliquis in- terdum remediis anteferendum non sit novum istud syphilidis sive mitigandae, sive sanan- dae auxilium.

1138. Ex iis praeterea, quas paullò ante commemorabam, observationibus licet inferre Calomelanum tum gingivis, tum cuti admo- tum, non perpetuo salivam movere, at ple- rumque alias egestiones moliri, sudoris nimi- rum, et urinarum, salivae vero fluxum, quando eum sollicitet, non tam a remedii copia sanguinem ingressa, atque ad meden- dum adhibita, quam a peculiari aegri condi- tione pendere. Item licet concludere reme- dium rite, prudenter, nec nimis diu, vel au- dacter datum, etiam ubi effectu careat, aut utilitate, nullam unquam molestiam concita- re, ac, cum butyro perfricatur gingivis, nec ardorem, aut inflammationem movere, nec dentes laedere; quae duo tamen saepe acci-

dere consuevisse aegris in Londinensi Divi Lucae Nosocomio versantibus ex Calomelano pulveris forma gingivis applicito Ill. Vir, et Amicus Hunczovskius testatur.

1138. Quod denique respicit huiusce methodi utilitatem, atque usum in syphilide iis spectatis, quae saepe mihi eam in aegris tentanti acciderunt, in ea tum sententia, ut affirmare soleam istud remedium nimis a quibusdam magnificatum fuisse, ac pariter nimis ab aliis contemni, eosque proinde recte sentire, qui mecum existimant ipsum, quoties certa copia in sanguinem venerit, atque aliquam excretionem mediocriter proritarit, reliquisque praesertim una incitamentum attulerit, Syphilitica mala interdum lenire, ac levia, et recentia ita discutere, ut tamen etiam in istis non raro spem Medici frustretur; non una de caussa quibusdam Mercurialibus remediis, quae intrinsecus propinantur mitigationis potissimum caussa, saepe praestare; ac denique generatim hanc novam medendi rationem luis syphiliticae diuturnae, ac gravioris symptomatis leniendis vix parem esse, ex toto auferendis prorsus imparem.

1139. Supersunt nunc expendendae illae Hydrargyri exterius adhibendi rationes, quae si paucae excipiantur, admodum probari, mea saltem sententia, non possunt. Nam ut exordiar a variis usibus externis, in quibus *Murias hydrargyri sublimati corrosivi* inservire traditur, quamquam non desint, qui ad dimidium granum, vel ad unum, aut alterum,

nunc per se, nunc cum aliquot granis *Acetitis plumbi* seu Salis saturni, vel *Oxydi cinerei plumbi* seu calcis cinereae saturni, ac cum aliis pro re nata remediis in apta, sive Aquae stillatitiae, sive Aquae calcis quantitate soluta plurimi faciant in blennorrhagia, blennorrhoea, verrucis, condylomatis, atque in prophylactica curatione forma iniectionis, et lotionis, (quarum formulas exhibet inprimis SWEDIAVRIUS), negligi tamen a Sapientoribus solet istud medendi genus, utpote nimis ambiguum, periculosum, ac supervacaneum. Alia enim suppetunt, quae parem vim habent ex Causticis alibi propositis ducta, et noxa plerumque carent.

1140. Num vero Sublimatus corrosivus probandus erit in syphiliticis ulceribus curandis ex eorum consilio, qui plurimum laudarunt, ac receperunt? Id imperiti, atque imprudentis Artificis esset. Nam praeterquamquod ulcera potius exasperare, quam abstergere, corrigere, ac cicatrice implere eiusmodi metallicum salem Chirurghi Artis usu insignes passim observarunt, metus perpetuo subest, ne nullo modo mutatus a vasis absorptus, ac sanguini affusus, vomitus, convulsiones, interaneorum erosiones, tremores, ingens salivae profluvium, aliaque gravissima mala inferat, quemadmodum interdum intulisse funesta exempla a Clinicis indicata evidenter demonstrant. Num instar balnei, vel instar pediluvii, ut BEAUMEUS proposuit, aliique cum eo docuerunt, an potius instar lotionis

in alvum infusae, ut ROYERIUS censuit, cum Hydrargyro sublimato erit medicina Syphiliticis facienda? Numquam sane, cum sciam primo adhibitum modo vel nihil praestitisse, vel susceptum a bibulis cutis vasculis non levia mala procreasse, altera vero usurpatum ratione, dum quaedam syphilidis symptomata lenivit, labem plerumque visceribus, ac praesertim pulmonibus, atque intestinis intulisse, aliaque mala, nervorum potissimum, concitasse, quibus expeditissimum interdum non fuit iis mederi, raptim etiam in usum vocatis, quae ipsius Sublimati virus validiori virtute retundere, eiusque effectibus opitulari censentur, quae deinde indicabo.

1141. Hinc caussam assequimur, ob quam apud nos soleant praestantiores Chirurghi ab omni Sublimati externo usu generatim sibi temperare. Hi quippe Exterorum quorumdam more neque in adductis iam casibus (§. 1139) usurpant, neque ad syphiliticos oculorum morbos colyria ex eo parant, neque eius solutione scabiem syphilide etiam complicatam, ac cutis eruptiones, impetiginesque abstergunt, ac curant, neque concentratissimo eius liquore tentant crustas tinneae, aut verrucas, condylomata, aliasque excrescentias ope penicilli subinde tangunt. Hisce siquidem in casibus vel, ut dixi, e Causticis rebus alibi propositis (§. 897. et seq.) idoneos liquores conficiunt, praesertim e lapide caustico idonea aquae stillatitiae copia soluto, vel lapide infernali utuntur. Quod si conveniat

mercuriale remedium, quod vim aemuletur Sublimati corrosivi, huic generatim substituunt maiori dosi, utpote longe mitius praeparationis genus, *Muriatem hydrargyri sublimati dulcis* seu Mercurium dulcem, nisi aliud e Mercurio auxilium speciatim indicetur.

1142. Non raro porro indicari, ac generatim optimum in externis syphiliticis morbis non paucis remedium largiri arbitrantur nonnulli Exterarum Gentium Chirurghi *Nitratem hydrargyri* seu Mercurium acido nitri solutum, aut Sal nitrosum mercuriale. Nam dum isti hoc Mercurii praeparatum, stimulandi, atque erodendi potentia Sublimato mercurio quam proximum, nisi etiam validius, idonea solutum liquoris quantitate lotionis, et iniectionis modo, instar Sublimati in iisdem iam expositis syphiliticis morbis usurpant, atque ipsum oleo olivarum, ac recenti pinguedini suillae varia proportione admixtum, unde Unguentum Syphiliticum Citrinum emergit, interdum in cutis affectibus obliniunt; nostrates contra Chirurghi utpote iisdem, ac Sublimatus corrosivus, obnoxium vitiis, iisdemque provocandis effectibus aptum, aut reiiciunt, aut tamquam supervacaneum negligunt, aut rarissime usurpant.

1143. Verum in hac concertatione, etsi ego nolim iudicis partes sumere, atque eos probare soleam, qui ancipiti, ac periculoso remedio alia anteferunt, quae minori promptitudine, aut efficacitate praedita licet sint, progressu tamen temporis prosunt, fateor

tamen non semel in chronica ophtalmia venerea cautissime instillatum rite dilutum liquorem ex *Nitrate hydrargyri*, itemque in crustis erodendis tineae nitratem eiusmodi cum oleo prudenter oblinitum, non raro proficuum, commodissimumque observasse. Quam obrem cum hoc modo adhibitum innocuum, ac valde commodum viderim, etiam si dicatur nulla singulari, qua a caeteris rodentibus, causticisque medicamentis, quo ad principium actionis differat, proprietate pollere, ipsum sane ab omni usu non possum excludere, atque eos, qui usurpant, improbare.

1144. Nunc aliud expendendum se offert externis usibus dicatum mercuriale remedium, quod *Murias hydrargyri albi praecipitati* largitur, quod dum Mercurium praecipitatum album Medici vocant, in Hydrargyrum praecipitatum fortius, et mitius, seu dulce solent distinguere. Quod vero validius est, ad medendum recipitur, quamquam apud nos id rarissime fiat. Etsi enim Praecipitato rubro suppar a plerisque haberetur, huius loco nunquam solet adhiberi. Hinc tantum inservire videtur ad Unguentum Mercuriale album parandum, quod fit eius drachma una unciae pinguedinis suillae, aut unguenti Rosarum albi rite admixta, quodque nucis avellanae quantitate artuum iuncturis calefactis vespere inunctum in scabie, herpete, aliisque cutis vitiis valde proficuum censetur, si prudenti eius usu periculum avertatur, quod secus retrogrediens malum infert.

1145. Usitatissimum contra est in externis syphilidis affectibus, aliisque non paucis, qui exteriora corporis occupant, *Oxydum hydrargyri rubrum ex acido nitrico*, quod alias cum Arcano corallino, aut Panacea mercurii rubra confusum, hodie Mercurius praecipitatus ruber, aut Hydrargyrum nitratum rubrum vocatur. Ob eius porro in agendo constantiam, atque efficacitatem aliis Mercurialibus remediis exterius adhibendis Praecipitatum eiusmodi anteponunt generatim Chirurghi, ac passim usurpant, nunc unguentis admixtum, nunc, quod crebrius, utiliusque fit, instar pulveris inspersum. Unanimi quippe consensione docent opportune, recteque impositum ulcerum sordes abstergere, manantem ichorem absorbere, pus in bonam indolem vertere, fungosa labia cohibere, et callosa erodere, luxuriantem carnem reprimere, ac syphiliticas ulcerationes, quas cancrosas quidam nominant, ne proserpant, prohibere, corrigere, atque ad cicatricem disponere, easdemque interdum implere, ac confirmare.

1146. Complurium etiam opinio est recentibus syphiliticis ulceribus inspersum Mercurium praecipitatum iisdem virus insitum ita invertere, resolvere, corrigere, aut avocare, atque educere, ut prohibeatur ne resorptum, atque ad interiora delatum universum corpus venerea lue inficiat. Cui quidem sententiae Recentiores quidam adversantur, dum censent Praecipitatum eiusmodi non aliud posse praestare, quam quod exedentia, ac caustica quae-

libet praestant, venereum ulcus quovis in casu iis tantum medicamentis nutriendum esse, quae simplex desiderat, aut tantum anodynis, sopientibusque exterius fovendum esse, dum Opium, Cortex peruvianus, atque alia, quae irritationem sedent, pravum corporis habitum emendent, ac debilitatem tollant interius propinantur; ac denique, nisi Hydrargyri interius delati virtuti luis praeservatio, aut discussio committatur, vanum, incommodum, ac noxium esse, sive cum Praecipitato rubro, aliove mercuriali remedio, sive cum lapidis caustici, aut cupri, aut calcis solutionibus quodvis syphiliticum ulcus tentare,

1147. In hac opinionum varietate verisimile plerisque videtur haerens adhuc in recentibus, exiguis, ac summam tantum cutim obsidentibus ulceribus syphiliticum virus inverti, ac foras propelli externis hisce medicamentis, sicque prohiberi, ne sanguini affusum ulterius proserpat, ac bubones, et luem inferat, praesertim cum id plurium observationi respondeat. Hi siquidem se observasse fatentur matura horum ulcerum curatione instituta cum mercurialibus exedentibus solum exterius adhibitis syphilidis evolutionem prohibitam, tum externam curationem cum iisdem medicamentis non raro ulcerationes, evulsasque excrescentias requirere, licet syphilis internis tentetur auxiliis mercurialibus, ut illae impleantur, hae vero non amplius repullulent,

1148. Quidquid caeterum de eiusmodi opinionibus dicendum sit, quae disputandi occasionem Therapeucen specialem profitentibus praebent, non iis qui generalia eius praecepta exponunt, in eo consentiunt omnes ad ea, quae iam posui (§. 1145.) assequenda aptissimum remedium Praecipitatum rubrum largiri, atque adeo commodum esse Chirurgis, ut ad usitatiora Artis praesidia iure pertineat, quae dum efficacia sunt, nisi improvide usurpentur, noxa carent. Quare ex eo paratur etiam ex eius uncia, aut sesquiuncia cum duplo suillae adipis Unguentum mercuriale rubrum, quod a Celeb. Sellio, Marqueto, aliisque semel, aut bis die illinitum ulceribus, ac capiti in syphiliticis ulcerationibus sordidis, valdeque corruptis, atque in tinea diriori non parum proficuum censetur.

1149. Apud nos vero rustici passim solent non absimili unguento, aut oleo admixto Praecipitato uti, tamquam phthyriaco medicamento, atque etiam exedendis eruptionibus, atque implendis ulceribus idoneo a lactea crusta profectis, quin animadvertant longe validiora pediculis necandis paria remedia suppetere, suo loco recensenda, quae omni discrimine vacant, quod mercurialia tam facile afferunt. A pravo enim, atque inconsiderato horum usu, sive ad alterutrum, sive ad utrumque finem assequendum instituto, ab imposito nimirum Praecipitato, interdum Unguento mercuriali, aut Em-

plaſtro mercuriali, sive de Ranis cum Mercurio, sive Mercuriali coeruleo, (§. 1101.) pruritu nimio, erosionis sensu, dolore, irrequie, et convulsione male affectos infantes, tenerosque pueros non solum observavi, verum etiam inde glandularum tumores, ac fluxum salivae passos fuisse. Quin imo subit recordatio non ignobilis Iuvenis, qui ex dimidia drachma unguenti coerulei semel, et iterum capiti illinita, quae pediculos necaret, post triduum in tantum repente venit salivae profluvium, ut aridissima cute, alvo pertinaciter occlusa, atque urina, qua carebat vesica, ne minima quidem copia prodeunte, vel spiritu interclufo, vel nimia humorum iactura mortem occubuisset, nisi biduo inter tantas angustias exacto, auxilio adfuisset medendi praestantia, ac doctrina insignis MOLINARIUS, qui apposito remediorum genere usus vix potuit miserum, cui conclamatum videbatur, ab horci faucibus vindicare.

1150. Quae denique duo supersunt externis etiam usibus probata ex Hydrargyro remedia, (missis caeteris nondum adhibitis, etsi videantur non inutilia futura, ut alibi dicam), apud nos in usum nondum veniunt. Unum est unguentum mercuriale, quod Ill. SAUNDERSIUS ex *Oxydi hydrargyri nigri*, seu ex Mercurii cinerei, aut nigri drachma cum suillae pinguedinis uncia conficiendum suasit, tradiditque in gonorrhoea, atque in syphilide inguini illinitum valde prodesse. Alterum vero suppeditat *Borus mercurialis* seu

Sal sedativum mercuriale, de quo mox disseram, genus remedii, quod cum butyro, aut pinguedine exceptum interdum ad medendum usurpavi, atque in scrophulis etiam nuper adhibui. Quo tamen in morbo, ubi valde penetrans, glandulasque colli cito pervadens medicamentum conveniat, expediatque revera hoc saltem fine Hydrargyrum, quod curationis caussa per se raro respondet, administrare, reliquis praeferre soleo cum CRUIKSCHANKIO methodum CLAREI, qua Calomelas, aut Oxydum quodvis mercuriale genis interius affricatur.

1151. Prolatis hactenus remediis ex Hydrargyro sumptis, quae externis usibus commodant, dicam modo de reliquis ex eo petitis, quae intus solent praescribi, quorum aliqua, ut ea quae etiam exterius adhibentur, iam proposui. Non omnia idcirco persequar, quae ex Hydrargyro duci possent remedia, quatenus ab acidis quam plurimis in salis, aut calcis formam conversum non pauca praeparata exhibet, quae et vim praemonstrare non mediocrem videntur, et a nonnullis Medicinae Scriptoribus tamquam utilia proponuntur. Nam, praeterquamquod id agere parum frugiferum est, officii ratio postulat, ut ea solummodo persequar, quae sive uno salivae movendae fine, sive Siphilidis sanandae, sive cuiusvis morbi discutiendi caussa, vel olim, vel nuper inclaruerunt. Quare, dum quaedam praetereo, vix indicabo A q u a m M e r c u r i i v i v i, tum C o c t a m,

tum Diſtillatam, quam nonnulli Medicamentarii codices retinendam adhuc in Officinis existimant, quoniam ea, aut caret virtute, aut vix non iners est, quemadmodum alio loco iterum dicetur.

1152. Sermone proinde ad utiliora deducto primum exequar Mercurialia medicamenta, quae illa Hydrargyri praeparata largiuntur, in quibus idem partim divisum, partim solutum nonnullis tantum videtur, dum ab aliis partim diversa etiam ratione mutatum existimatur. Sunt eiusmodi, quae Hydrargyrum habent unitum Saccharo, Syrupis, et Conservis, vel Extractis quibusdam, vel remediis alvum ducentibus, vel aliis medicamentis, quorum sane non pauca in Medicorum libris recensentur. Ego praecipua, seu quae vel usu, vel nomine caeteris praestant, attingam. Inter haec Mercurius saccharatus seu Hydrargyrum saccharatum, quod ex una parte Argenti vivi, et dupla Sacchari albissimi in mortario tritis, donec globuli penitus evanescant, exurgit, hic olim inclaruit ad drachmam bis, terve die sumptum in verminatione potius, ac viscerum obstructionibus, quam in morbis venereis, hodie vero evıluit. Emergunt etiam ex parum absimili praeparationis genere Bolus coeruleus cum Conserva rosarum, et Bolus mercurialis, atque addito gummi arabico, aqua stillatitia fragrante, et syrupo simplici Syrupus mercurialis seu Hydrargyri, quae alibi probata, apud nos

ut parum efficacia in usum non veniunt. Neque hic loci ex Mercurio cum manna, aut Syrupo cichorei cum Rhabarbaro subacto, vel trito, atque admixto lapidibus cancrorum, unde Mercurius alkalizatus, aliisve similibus ducta remedia a quibusdam Exterarum Gentium Scriptoribus non parvi facta ob satis manifestas rationes usurpantur.

1153. Quando autem ad sudorem pellendum apta medicamenta cum Argento vivo admiscentur, Pilulae Aethiopicae emergunt, ad quas parandas, etsi Medicamentarii codices multo maiorem copiam Argenti vivi recipiendam esse doceant, quam Ill. FRITZIUS praescribat, hic tamen cautius se gerit. Tradit enim eas ita esse conficiendas, ut Mercurii sesquidrachmae *Oxydi stibii sulphurati aurantii* seu Sulphuris antimonii aurati, resinae Guaiaci, et mellis, ex singulis drachma addita ex diutina trituratione cum idonea quantitate gummi arabici sexaginta pilulae componantur, quarum quatuor mane, ac totidem vespere aeger assumat. A plerisque in syphilide generatim, in scabie, in hydropisi, atque in febre quartana pertinaciori, valde proficuae hae pilulae censentur, dum a Nuperioribus in cutaneis maxime syphilidis affectibus, atque eruptionibus, ulceribusque foetidis, et malignis multi fiunt, ac speciatim ubi ad cutim deducere ita expediat Hydrargyri vis, ut sudor erumpat. Ego autem istis, aliisque similibus, quae suis, ut reliquae pilulae, vitiis sunt obnoxiae, quoties sudor

pellendus sit, toties soleo anteponere Mercurium dulcem, aut Calomelanum cum opio; quod tutius, atque efficacius mihi agere videtur.

1154. Iis autem Pilulis, quae cum Hydrargyro puro medicamenta alvum ducentia habent, tantum olim tribuerunt Medici in morbis a syphilide, aliisque caussis profectis, ut Pilulas Mercuriales tum BARBAROSSAE, tum BELLOSTII passim adhiberent, nec desint apud nos, qui vel hodie eas adhibeant correctas, nempe primas a LEMERYO, alteras a BAUMEO, quarum formulas tradit SPIELMANNUS (*a*) animadvertens in morbis venereis, et lymphae vitiis illas ad drachmam, istas ad dimidiam praescribi. Caute interim se gerunt, qui animadvertentes priores pilulas cum Argento vivo terebinthina extincto non mediocrem continere copiam Aloes, Agarici albi, et Rhabarbari, secundas vero cum Argento vivo, et cremore Tartari diu tritis habere Diagrydium, atque Ialappam, earum dosim a paucis granis ad quindecim, aut viginti vix extendunt. Verum et isti cautius, ac rectius, ni fallor, se gererent, si ab utraque pilularum specie non una de caussa sibi temperarent.

1155. Porro, etsi ob peculiarem aegritudinis naturam, et morbi sedem Hydrargy-

(*a*) Pharmacop. general. pag. 248.

rum iis remediis adiunctum usurpare interdum conveniat, quae eiusdem actionem in primis viis potissimum explicent, atque alvum leniter sollicitent, ad utrumque assequendum minus idoneae eiusmodi pilulae videntur. Nam, praeterquamquod exigua dosi datae symptomatis potius mitigandis, quam evellendis pares iudicantur, dolores ventris movent, atque alvum non sine tenesmo ducunt, ac diu continuatae plus, quam deceat, stimulant, ac salivae fluxum, interdum non exiguum, quominus is expedire, aut metuendus videbatur, invitant. Ea vero dosi, qua generatim solent praescribi eiusmodi pilulae, nisi ob duritiem non immutatae, ac non solutae intestina pertranseant, et foras nullo praestito beneficio erumpant, (quod in duris pilulis tam obvium est) molles ubi sint, generatim stomachum infestant, tormina suscitant, inutiles, ac nocuas humorum ex alvo exinanitiones afferunt, nervos infirmant, viresque conterunt, cumque praeterea a lymphaticis vasculis saepe non absorpta in sanguinem raro influant, raro etiam in Syphiliticum virus, atque in mala, quae concitavit, proxime suam possunt actionem explicare.

1156. Hinc sapientiores Clinici solent iis etiam in casibus, in quibus parum sentientibus, ac satis virium adhuc habentibus aegris, pituitoso corporis habitu praeditis, ac viscerum, glandularumque obstructioni obnoxiis medendum sit, hisce pilulis substituere alias extemplo paratas, quae et mitius

agant, et mollitie sua spem sumentis non eludant. Quod si alterandi fine pilulae conveniant, quae cum Mercurio habeant terebinthinam, aut balsamum, Medicis magis arrident Pilulae Alterantes Plumerii, quarum dosis a granis sex ad octo bis die iteranda statuitur, vel ubi obstructiones, tumoresque validius debeant mercurio adhibito resolvi, fidunt maxime Pilulis cicutae mercurialibus, quae non ex Argento vivo cum Extracto, sed ex Mercurio dulci cum varia pro re nata eiusdem extracti cicutae, et subinde Ammoniaci quantitate emergunt.

1157. Verum non est quod in pilulis Mercurialibus recensendis, quae Argentum vivum habent, vel Mercurium dulcem cum aliis medicamentis, ulterius immoremur, quoniam, etsi symptomata venerea mitigent, ac discutere interdum videantur, radicitus tamen vix unquam tollunt, si SWEDIAVRII, aliorumque observationibus credimus, propriis etiam neglectis. Praesertim cum leniendis syphilidis affectibus, aut levi morbo discutiendo aptius, ac leni actione commodius remedium putent alibi Medici Saccharum hydrargyratum quatuor, sex, aut octo granorum pondere instar pilulae, vel pulveris, vel trochisci quotidie usurpatum, hic vero loci in Mercurio gummoso seu Mucilagine mercuriali, commodissimo medicamento, quod Ill. PLENKIUS detexit, maiorem fiduciam soleant collocare.

1158. Nec quidem eiusmodi fiducia va-

na est, quoniam Mercurii vivi, et puri drachmam cum dupla, aut tripla quantitate gummi arabici, cui additur dimidia, aut una uncia Aquae stillatitiae diu admiscendo, donec Mercurii globuli percipi nequeant, medicamentum conficitur, quod egregii usus est. Sive enim in eo Hydrargyrum reperiatur solummodo divisum, ut quidam nunc etiam aeriter defendunt, sive partim in calcem redactum, sicuti experimentis suffultus Vir nunquam interiturae memoriae SCOPOLIUS tradidit, certum est medicamentum eiusmodi commodo suo, suaque utilitate multis palmam praeripere. Etenim cum plerisque noxis, quibus Salia mercurialia obnoxia sunt, ipsum careat, stomachum haud infirmet, quibusdam aliis Mercurialibus rarius salivam proliciat, atque effectus syphilidis moderetur, eamque incipientem non raro discutiat, Syphiliticorum rationibus persaepe conducit. Maxime vero quia cum lacte coniungere, in pillulas conformare, atque instar potionis praescribere licet istud remedium, (unde Lac mercuriale, Pilulae gummosae mercuriales, Syrupus mercurialis gummosus, ac Potio mercurialis exurgant) quo fiat cuiusque aegri genio, ac conditioni aptius, lenius, et iucundius.

1159. Crebro proinde eius in aegris usus mihi prospere cessit, quibus Mercurii praeparati ea quantitate, et modo, quo iam dixi, (§. 1158.) in octo Aquae stillatitiae unciis deinde soluti unum, alterumve cochleare, bis,

terve die pro re nata exhibui; imo non raro remediis aliis antefero. Quando nimirum lenissime agere oporteat, curationem diu trahere, quod generatim noxium est, ob aliquam caussam expediat, nec reliqua remedia sat lenia sint, aut nequeant sustineri: quemadmodum interdum evenit. Neque id tantum in syphilide praesto, verum etiam aliis in morbis, qui Mercurii utique usum, at quam cautissime institutum postulant.

1160. Non is igitur sum, qui commovear eorum dicteriis, qui ideo remedii usum in criminationem adducunt, quod in eo Mercurii in calcem conversi quantitas determinari non possit, quodque Mercurius intra paucos dies gummi relicto praeceps ruat, unde vel maiori assumpta, quam oportebat, hydrargyri copia, salivae fluxus, diarrhoea, aliaque superveniant, vel, nulla cum gummi hausta, omnis Medicorum, aegrorumque expectatio eludatur. Nam primum praecavetur recta praeparatione, alterum exhibendo recens paratum Mercurium, vel pilularum forma. Ubi enim pilulae, quarum duae, tresve bis, terve die dari solent, quavis die parentur, non eam sane acquirunt duritiem, qua neutiquam solutae sine ullo effectu ex alvo secedant; sicuti Fritzius, aliique ad earum usum evertendum tradiderunt.

1161. Post Hydrargyrum gummosum remedia, quae non minus ab Hydrargyro, quam e Sulphure, et Stybio componuntur, e vestigio attingenda sunt, quoniam ob virtutem, quam

in nonnullis morbis exerunt, omitti non possunt, atque una inter Sialagoga vix possunt recenseri, cum eadem, nisi diu, atque audacter propinentur, salivam raro invitent. Sunt porro huius generis *Sulphuretum hydrargyri nigrum*, seu Aethiops mineralis sine igne, aut Hydrargyrum sulphuratum, et *Oxydum mercurii sulphurati nigrum*, seu Aethiops mineralis cum igne praeparatus, aut Hydrargyrum sulphuratum nigrum. Utrumque vero remedium, a granis tribus ad quinque teneris pueris, atque adultis a granis sex ad dimidium scriptulum exhibitum, apteque diebus aliquot continuatum, dum in glandularum tumoribus, scrophulis, morbis cutaneis, antiquis ulceribus, fistulis, febribus quartanis diutinis, atque amaurosi, aliisque chronicis oculorum vitiis eximium censetur, in syphilide parvi admodum fieri solet.

1162. Parvi etiam fit, imo a plerisque prorsus contemnitur *Sulphuretum hydrargyri rubrum*, tum *nativum*, tum *artificiale*, seu Cinnábaris nativa, aut factitia (a qua illa Antimonii olim dicta non differt), quae illi saepe sordibus, aliisve metallis admixtae, nec uno modo fraude adulteratae anteponitur, ubi hoc remedio utendum sit. Quod quidem rarissime accidit. Nam cum neque eam virtutem antispasticam ostendat, quae alias ei tribuebatur, (§. 954.) neque illam patefaciat vim antisyphiliticam, quae discutiendis, aut saltem cito mitigandis luis symptomatis apta sit, quemadmodum existimarunt qui primi Mercurialia remedia intus tentantes Cinnabarim

caeteris praetulerunt, nunc eadem Cinnabaris fere omni caret usu. Praesertim vero exolevit, alias forma pulveris tenuissimi, qui Pulvis cinnabarinus alcoholisatus dicitur, a paucis granis usque ad scriptulum, passim adhibita, quia neque per se, neque cum aliis medicamentis, ut fit in Pulvere Antylisso Sinensi, de quo postea dicam, suam adversus hydrophobiam praestantiam satis tueatur. Caeterum ne prorsus iners in humanum corpus Cinnabaris habeatur vetat fluxus salivae, quem diu, vel audacter data movet, ac mitigatio, aut discussio quorundam affectuum ex syphilide, quam interdum praestitisse nefas esset denegare. Neque Mercurius diaphoreticus seu Panacea cinnabarina THOMPSONII, quae blennorrhagiae venereae, ac syphilidi mira efficacitate mederi a granis quatuor ad viginti vel nuper tradebatur, nunc non immerito eviluit.

1163. Neque pluris, saltem ad salivam movendam, syphilidemque curandam, hodie fit *Sulphuretum hydrargyri stibiati* seu Aethiops antimonialis. Nam in bronchocele alias magni factum, certam virtutem non ostendere ore sumptum: atque ad Cinnabarim plurimum accedere, quo ad vim, atque usus, Medici nuperiores tanta fiducia affirmant, ut hoc remedii genus supervacaneum habeant, atque in tanta tutiorum, validiorumque copia, quae presto est, oblivioni amandandum esse arbitrentur: quod nimium mihi videtur.

1164. Iam vero ad validiora progrediamur, ea nimirum, in quibus Acidorum ope

in salem mutatum Hydrargyrum reperitur, ac primum ad illa, quae ex Muriatico acido Salis formam, ac proprietates induerunt. His antecellat *Murias hydrargyri sublimati corrosivi* seu Mercurius sublimatus corrosivus, aut Hydrargyrum muriatum fortius praecipitatum, de cuius externo usu (§. 1127.) cum iam dixerim, nunc de interno magis adhuc dicere interest. Quandoquidem istud potentissimum venenum, quod ultra unum, alterumve granum vomitibus, alvique profluviis, interaneorum inflammatione, ac gangraena inductis, nervorumque distentionibus vehementissimis accersitis, brevi hominem perimit, cum iamdiu a Circulatoribus, atque Empiricis, instar arcani minima dosi in syphilidis curatione adhibitum, a Medicis deinde SWIETENII auctoritate in eadem aegritudine usurpatum quorundam non minus laudibus, quam aliorum vituperationibus hac potissimum aetate inclaruit.

1165. Minima siquidem dosi in apta quantitate spiritus frumenti, aut vini, vel Aquae stillatitiae Hydrargyrum corrosivum solutum innoxium. ac praestantius, validiusque caeteris Syphilidis remediis existere quidam perhibent, tumque maxime utile quando alia Mercurialia irrita cesserint, ac speciatim inunctiones mercuriales malum non vicerint. Alii vero SWIETENIO, LOCHERO, GARDANIO, HORNIO, aliisque Sublimati laudatoribus acriter obsistunt contendentes multis sane de caussis Sublimatum corrosivum, hac saltem, aut parum absimili methodo nunquam esse propi-

nan-

nandum. Etenim licet syphilidem interdum sanare, ac rebellia quaedam symptomata interdum superare concedant; attamen ex eo plurimum nocere animadvertunt, quod saepe nervorum, musculorumque vires infirmet, nauseam, et vomitum moveat, tussim, sanguinis sputum, maciem, tabem, ac similia mala, quae lenta mors excipiat, rite etiam, cautissimeque administratus inducat. Qui vero etiam si ista non metuant, non semper syphilidem evellere, subinde symptomata solummodo mitigare, neque haec saepe discutere observant, licet nolint Sublimati corrosivi rite soluti, ac probe edulcati internum usum prorsus excludere, perraro admodum admittendum praecipiunt. Eiusmodi nimirum medicamentum nonnisi robustis, parum sentientibus, atque iis, qui muco abundant, aut remedia alia inutiliter usis dandum esse iudicant, et quidem a prudenti, ac perito Artifice, secus abstinendum, ne eius fama cum aegri vita periclitetur.

1166. Hinc factum est, ut quidam ab omni usu interno Sublimatum removendum esse iudicaverint, saltem ob nimis obvium periculum, quod eo utens aeger offendit. Quando interim lues summa celeritate, atque effraeni impetu ad noxam feratur, aegrorumque perniciem, atque, ulceratione inducta, magnam solidarum partium erosionem, ipsamque cariem minitetur, saltem eo fine tunc adhibitum Sublimatum, ut vi sua, quam promptissime exerit, mitigatis protinus sympto-

matis spatium relinquatur, quo alia postea experiri, atque ex voto adhiberi remedia Mercurialia possint, opportunius caeteris, atque usurpandum remedium esse prudentiorum etiam Clinicorum sententia est. Eam enim non solum SWEDIAVRII, aliorumque experientia possum defendere, propria posthabita, verum etiam BURSERII observationibus, quibus adfui, tutius vallare. Porro memini duarum Mulierum, ac Viri, quibus gravissima syphilide cum ulceribus nares, et palatum exedentibus, ac cum carie laborantibus ita ipse subvenit Sublimati corrosivi solutione prudenter data, ut hoc uno medicamento omne malum abstersum sine ullo discrimine fuerit.

1167. Quamquam itaque a Sublimati usu, sive detur SWIETENII methodo, qui sex circiter granis in libra Spiritus frumenti, aut Spiritus vini digestis, ac diutina agitatione solutis, unum cochleare solutionis mane, et vespere sumendum praecipiebat, sive alia ratione quatuor granis Sublimati in sexdecim Aquae stillatitiae unciis cum Salis ammoniaci scriptulo solutis, generatim abstinendum sit; non videtur nihilominus periti Medici esse ab eius usu perpetuo refugere. Licet itaque quae ad eius summam efficacitatem, atque innoxium usum demonstrandum iterum protulit Ill. THEDENIUS una adhibito Mercurio gummoso, aliisque caussis a FRITZIO, atque ab aliis Scriptoribus aequiori iure referantur, vellem tamen non ita abstinendum esse, ut

interdum, urgente necessitate, eodem uti quam prudentissime Proceres Artis nequeant.

1168. In quovis autem casu, ubi liceat uti Sublimato, non stomachi, viriumque debilitate, non pectoris aliquo vitio, non diarrhoea presente, caveat Medicus studiosissime, ne Pilulas e Mercurio sublimato corrosivo solutionis loco praebeat, quorundam more, qui credunt hac forma, si binae pilulae, quarum quaevis Sublimatum ad octavam grani partem continet, mane, et vespere assumantur, omnem noxam aegrum tutissime declinare. Etenim nihil est hac ipsa methodo alienius. Nam pilulae, vel ex alvo prodeunt ob duritiem non solutae, ac tunc nil praestant, vel ad intestina delatae in iis diu manent, tuncque solutae tormina, diarrhoeas, aliaque mala gravissima suscitant, quemadmodum FRITZIUS recte animadvertit.

1169. Quod quidem periculum praestabit studiosius declinare, ac generatim maiori adhuc prudentia in Sublimati administratione se gerere, si haec unquam instituitur, ex eo quod inter multa, quae ad enervandum eiusdem Sublimati virus, atque effectus illatos discutiendos remedia a Medicinae Scriptoribus fidenter proponuntur, nullum hactenus suppetat, quod verum antidotum dici possit. Etenim tam emollientia, mucilaginea, pinguia, lac, et olea, quae generali virtute, quam salia alcalica, lapides cancrorum, urina, aqua calcis, lixivium e cineribus, atque hisce similia, quae propria vi antidota censentur,

non ita proficua sunt, ut plane innoxium Sublimati virus reddant, eiusque effectus cito, et tuto tollant.

1170 Quamquam autem a Sublimato corrosivo *Murias hydrargyri sublimati dulcis*, seu Mercurius dulcis, quem iam attigi (§. 1133.) ideo tantum discrepare iudicetur, quod ob acidum hydrargyro supra saturatum longe mitius sit, hodie tamen alicubi ipso etiam compositionis modo differt, ubi ex plurium consilio Ill. SCHEELII methodo ex *Acido nitroso* ope *Muriatis sodae* praeceps detur. Secus Calomelas, aut Calomelanus, Aquila alba, aut Panacea mercurialis nomine tantum, aut solo sublimationis gradu possunt a Mercurio dulci distingui, qui unus, istis neglectis, sufficere a Nuperioribus censetur. Porro Mercurius dulcis cum Sublimati corrosivi damna non inferat, atque a duobus granis ad tria, vel quatuor boli, aut pulveris forma, semel, aut bis die commode detur, quibusdam valde acceptum remedii genus iamdiu esse consuevit.

1171. Verum cum generatim alvum moveat, plerumque non sine torminibus, et tenesmo, quam facile salivae organa aggrediatur, ita, ut vel diarrhoeam, vel salivae fluxum crebro invitet, cumque ad mitiganda symptomata venerea, maximeque ad ea discutienda diu dari debeat, ac tum stomachum infestet, morbosam irritabilitatem augeat, ac vires totius corporis plurimum infirmet, remedium est Mercurius dulcis, quod intus ad syphilidis plenam curationem perficiendam a

a Sapientioribus nunquam praescribitur, nisi a singulari rerum natura requiratur; quo in casu, ne alvum moveat, ne salivam invitet, neve dolores stomachi, intestinorumque suscitet, ac potius ad cutim hydrargyri vim determinet, atque efficacitatem huius acuat, cum Opio commodissime coniungunt. Praesertim cum diutissime datus non modo ea mala suscitet Mercurius dulcis, quae reliquorum Mercurialium abusus parit, verum etiam non rite praeparatus, ac non satis dulcis redditus ea damna inferat, quae Sublimatus corrosivus progignit.

1172. Quare rarissime nunc Mercurius dulcis intus per se praescribitur syphilidis curandae, aut mitigandae caussa, sed potius ut medicamentum alvum ducens; quo etiam fine in hydropisi, aliisque chronicis morbis, in quibus crassum, viscidumque incidere, haerens, impactumque discutere oporteat, humorumque colluviem exinanire conveniat, in glandularum congestionibus, in abdominalium viscerum obstructionibus, tumoribusque, atque in anginosis praesertim puerorum affectibus non infrequenter, utiliterque datur; ne modo dicam caeteros usus, quibus inservire idem remedium, ut suo loco dicetur, a quibusdam iudicatur.

1173. Quoniam autem de Mercurii dulcis interno usu, ubi cum Opio coniunctus sit, sermo incidit, non possum hic loci ea omittere, quae ipsius Opii, sive per se dati, sive cum hydrargyro adhibiti efficacitatem in sy-

philidis curatione respiciunt. Nolo quidem ea omnia repetere, quae de hac re albi fuse disputavi (*a*), sed praecipua, quae experimentis, observationibusque innixa cognovi, cum diutina periclitatione perquirerem, utrum esset NOOTHIO, SCHÖPHIO, MICHAELI, TODIO, et SIBBERNIO, an contra RICHTERO, GRANTIO, FISCHERO, atque HAGSTREMIO subscribendum, quorum primi antivenereain Opii virtutem acriter tuentur, dum alii mitigatoriam in paucis solummodo casibus utilem ei tribuunt.

1174. Dicam igitur Opium pedetentim, diuque datum, partim evacuando, partim multimode alterando in syphilide saepe prodesse, quamquam in ea aegritudine specificum remedium nequeat appellari, neque ea sanare venerea mala, quae licet gravia sint, hydrargyro tamen obtemperant, neque proinde omnem in eo fiduciam collocandam esse, quando etiam morbus leviorem indolem prae se fert, multoque minus quando gravior est, aut inveteraverit. Dicam rursus in syphilide nec generatim, nec speciatim, gravior, casus ubi subsit, Opio potius, quam hydrargyro curationem esse committendam, aut, si opium aliqua ex parte indicari videatur, cum hydrargyro, aut Calomelano esse coniungendum. Dicam denique Opii additamento hydrargyrum, sive intus detur,

(*a*) Opus. Therap. Op. VI.

sive exterius admoveatur, medicatius, promptius, ac lenius non raro operari.

1175. Ergo quamquam istud medendi genus suis vitiis obnoxium sit, quae alio loco adducta non est quod modo expendam, quoniam ex Opii pendent natura, quam satis alibi exposui (§. 964., et seq.) modo rem concludam iis verbis, quibus alias usus sum. Quoties Hydrargyrum, etiam si morbus eius usum omnino requirat, ob singularem nihilominus corporis naturam, nimiam fibrarum sensilitatem, ac mobilitatem, aliasve caussas in aegro existentes nimium irritet, et convulsiones, tremores, ac spasmos suscitet, aut somnum arceat, aut inopportune salivae organa aggrediatur, aut vias intestinorum petat, atque ex alvo cito subducatur, huiusque fluxum intempestive sollicitet; toties Opium eidem additum ad huiusmodi mala arcenda, vel removenda accommodatissimum futurum quis mecum non opinabitur?

1176. Quod si insuper expediat artuum, aliarumque partium cruciatus a venerea caussa profectos, aut aliunde licet ortos cum syphilide complicatos protinus, aut citius, quam ab Hydrargyro sperandum sit, moderari, et solvere; si praestet eiusdem actionem ad cutim speciatim derivare, sudoremque movere, aut intendere; si demum oporteat curare, ne salivae fluxus vi remedii moveatur, cum praesertim in hunc finem tepida balnea ob peculiarem aegri constitutionem, aliasve caussas nequeant institui, aut instituta

aliena existant: quid non erit ab Opii cum Hydrargyro coniunctione sperandum? In singulis profecto eiusmodi casibus, quos non raro incidere neminem Clinicorum latet, Opium modo solum, modo Mercurio adiunctum, modo paullo ante huius administrationem rite adhibitum, iam perspecta in morbis venereis illius agendi ratione, magni usus remedium fore, imo revera existere, nemo fortasse in dubium iam revocabit.

1177. At dum redeo ad Mercurialia interna remedia non possum alia, quae supersunt, recensere, quin primo pauca interponam de singulari medicaminis genere, quod vim suam praecipuam a Mercurio dulci agnoscere videtur. Puto enim operae pretium esse de eo remedio dicere, quod nuper prolatum est a Cel. SALVATORIO, tamquam illud forte esset arcanum compositionis genus, quo Ptisanae antivenereae nomine in Syphiliticorum curatione usus iampridem POLLINIUS Medicorum partim vituperationibus, partim laudibus ob iudicii dissimilitudinem tantopere inclaruit. Ex formula autem, quam a Cl. PASSERINO primum derivatam SALVATORIUS Humanitatis bono, non lucro studens publici iuris fecit, pronum est assequi, Ptisanam componi ex unciis octo radicis Sarsaeparillae, ex duabus radicis Aristolochiae rotundae, ex sesquialtera foliorum Sennae, atque ex uncia radicis Cynarae, herbae Fumariae, ac florum Cyani, quibus dimidia uncia tum Mercurii dulcis, tum Aluminis usti adiiciatur cum

viginti quatuor Aquae libris tamdiu incoctis, donec decem decoctus librae supersint. Liquor panno dein traiicitur, ac frigido loco servatus leviter calefit, quando aegro propinatur, qui generatim eius libram mane, et vespere quinque dierum spatio debet assumere. Integra dosi insumpta, ea iterum nova instauratur, quae ter, quaterve, aut quinquies, vel septies ita iteranda est, ut aeger syphilide detentus pro vario eius gradu ad quatuor, quinque, aut sex hebdomadas curationis tempus extendat (*a*).

1178. Eiusmodi est Ptisana, cuius actione, dum appetitus ciborum deletur, venter subducitur, atque assidue obmurmurat, interdum aliquis sudor erumpit, levis membrorum pruritus excitatur, atque aeger marcorem, debilitatemque contrahit, contendit Salvatorius duodecim dierum spatio syphilidis symptomata evanescere, ac dein radicitus tolli, quin unquam remedium fallat, aut quidquam post se syphilitici mali relinquat, etiamsi inveteratum, conclamatumque videatur. Doleo proinde non eo eventu eiusmodi Ptisanae usum, quibus ipse obtuli, aegris cessisse, etsi ad eam periclitandam accedens curaverim, ne perspectae mihi facultates remediorum, e quibus compositio emergit, ac ratio, qua in ea Mercurius haeret, fiduciam minuerent.

(*a*) Del Morbo Tisico pag. 161.

1179. Praeter expectationem igitur acciderunt, quae observavi, nimirum eiusmodi Ptisanam satis innocuam non esse, quia ad uncias octo, nunquam ad libram, quavis vice data cunctis aegris, primis diebus, etsi nec crebras, nec multas alvi exinanitiones inferret, molestam tamen stomachi irritationem, ac ponderis sensum diu durantem, ventris inflationes, diutina eius murmura, strepitusque non leves ea movit; quibusdam item prorsus alienam esse, et nocuam, quia duobus aegris, qui caeteris corporis robore praestabant, alvum ardore, torminibus, ac tenesmo tam vehementer duxit, ut iterum eam dare tortoris, non Medici fuisset; plerisque medicamentis antivenereis eam longe eedere, quia dum in quinque aegris artuum dolores compescuit, neque in iis radicitus evellere potuit diu data, neque in duobus aliis impedire, quominus sublati redirent; atque ad vincendam demum syphilidem non valere, quia in aegris omnibus ulcera faucium, vaginae, aliarumque partium, bubones, exosthoses, gummi, aliaque, quinque iam dosibus insumptis, quae nunc alvum, nunc urinam, nunc sudores moverunt, adhuc supererant: quibus tamen singulis linitus Mercuriales postea adhibiti remedio fuere, quin tot Ptisanae incommoda concitassent.

1180. Sive caeterum dicatur eiusmodi Ptisanam cum POLLINII remedio convenire, quemadmodum plurimum convenit cum Ptisana hydrotico cathartica, quam

olim Callacius magni fecerat, ut perhibet Astrucius (a), sive dissimilis reputetur, mea parum refert. Quamquam enim arcanum adhuc Pollinii remedium Ill. Swediaurii auctoritate non mediocre rursus nomen receperit, qui in morbis venereis Mercurio non vincendis ulcera, cutis affectus, tophos, cariem, dolores artuum, aliaque rebellia syphilidis mala feliciter, ac breviter sublata fuisse retulit, quae tamen Regiae Facultatis Medicae Ticinensis iussu aliquot abhinc annis capta fuerunt experimenta in Nosocomiis tum Mediolani, tum Ticini cum eo remedio, eiusmodi sunt, ut iisdem possim innixus non tanti istud auxilium putare. Porro ne persequar, quae ipse multo pridem in aegris eodem medicamento usis videram, quod Mercurii aliquid male soluti continere nonnulli affirmant, alii denegant, dicam tantum quod ex illis observationibus liquet, scilicet Ptisanam Pollinii quibusdam nimis esse infensam, et caussam gravissimi discriminis; non omnibus, quos iuvare videtur, certam afferre salutem; non perpetuo impedire quominus mala, quae sublata videbantur, repullulent; morbum, qui ossibus insideat, aut saeviat cum carie, non attingere, quamquam generatim dolores artuum, et rheumatica complicata incommoda non aegre removeat; ac

(a) Op. cit. lib. 4. Cap. 12. §. 8.

denique in syphilide confirmata non graviori aegrorum spem sub ambigua salutis specie non raro fallere.

1181. Verum ad Mercurialia remedia sermone revocato non alienum est Mercurio dulci adiungere *Muriatem hydrargyri albi praecipitati* seu Mercurium praecipitatum album, quatenus, licet nunc exterius tantum (§. 1144) probetur; alias nihilominus intus quoque solebat praescribi. Hic enim praecipitatus, rubro reiecto, utpote acriori, alias temere adhibito antequam invaluisset Sublimati corrosivi usus, a SWIETENIO, aliisque propinari consuevit. Tunc autem dari solebat ea ratione, ut triginta eius grana cum drachma Sacchari purissimi diu mortario vitreo trita, in viginti quatuor partes tributa paullatim exhiberentur, scilicet una parte ter die data. Caeterum cum Praestantissimus SCOPOLIUS noster iam undecim ab hinc annis me saepe compelleret, ut periclitarer eius coniecturam, qua ductus suspicabatur Praecipitatum eiusmodi futurum actione sua inter Sublimatum corrosivum, ac Mercurium dulcem quodammodo medium, periclitatione tandem studui eruere, num id tuto posset defendi.

1182. Porro, ut experimenta sumerem cautissime, ita Syphiliticis intus Praecipitatum album exhibui a medio grano cum puro Saccharo, dosi paullatim aucta, donec quatuor, aut sex eiusdem grana aeger quotidie sumeret, in iis casibus, in quibus indicatus Sublimatus corrosivus a morbi vehementia vide

batur, contraindicatus vero ab aegri temperie, mobilitate, aliisve caussis apparebat. Hoc autem modo cognovi quidem inter Sublimatum, et Calomelanum medium quodammodo locum Praecipitatum sibi vindicare, ac symptomatis venereis discutiendis parem generatim esse, quin tamen innocuum medicamen, atque indiscriminatim usurpandum dici possit. Enim vero stomachum manifeste infirmat, tormina, et tenesmum saepe movet, alvum ducit, ac facile salivae organa petit, unde tantum rodentis acredinis retinere evidens sit, quantum requiritur, ut prudens Artifex concludat, rarissime, ac non nisi cautissime administrandum esse mucilagineis potionibus largiter assumptis, aliisque una usurpatis medicamentis, quae nimis acrem illius stimulum involvant, ac retundant.

1183. Nunquam vero *Oxydum hydrargyri viride praecipitatum* ope cupri ex *Muriatico acido* seu Mercurius praecipitatus viridis nunc datur interius. Est enim remedium olim temere in gonorrhoea, blennorrhoea, atque in syphilide ore propinatum, cum vomitum, et tormina excitet, atque alvum vehementer ducat. Exterius vero ideo raro, aut nunquam hodie pulveris forma, sicuti alias in sordidis ulcerationibus, praesertim venereis, fieri consueverat, quod aeque ad eas valeat Praecipitatus ruber, neque iuxta quosdam inspergi saepe queat, quin spasmos suscitet: in quo tamen non omnes consentiunt.

1184. Utrum autem *Nitras hydrargyri* seu iam indicatus (§. 1142. et 1143.) Mercurius Nitratus, aut Sal Mercuriale intus dari tuto queat, ut Syphiliticis magno auxilio sit, hic loci quaerere plurimum expedit. Nam contra quorundam Clinicorum sententiam, qui utpote nimis valide stimulans, ac plenum discriminis istud Mercuriale remedium interius nunquam adhibendum esse decernunt, nuperi quidam Medicinae Scriptores ipsum, veluti validissimum, nec minima dosi nocuum, ac graviori syphilidi sanandae par auxilium, volunt fidenter administrandum esse, ubi valida hydrargyri actio requiritur; imo non solum inunctionibus mercurialibus, verum etiam ex Ill. SELLII observatione Sublimato corrosivo longe anteponunt. Quoties enim lues venerea ligamenta, atque ossa attigerit, aut ulceribus, cancris, tumoribus, diuturnis cruciatibus, ac cutis malis stipatur, aut inveteraverit; toties probant ad tertiam, aut mediam grani partem cum Aqua stillatitia initio datam eiusdem Mercurii nitrosi solutionem, deinde paullatim auctam, usque dum tres, quatuor, aut sex guttae aliquot Aquae unciis admixtae intra diem sumantur.

1185. Ab horum tamen sententia ego longissime absum, nec una quidem de caussa. Hoc enim remedium ideo probare non possum, quia vel minima dosi vomitum, ac ventris dolores plerumque movere, et nimis facile salivam prolicere observavi; quia non ea, qua solet oblinitum Hydrargyrum, secu-

ritate syphilidem sanare reperi, sic ut ea, quam iam plurimum mitigatam brevi discussam radicitus fore coniiciebam, deinde revivisceret, ac pertinacior evaderet; quia demum in casibus, in quibus actionis promptitudine indicatum videtur, ad graviora scilicet, et rebellia luis venereae symptomata vincenda, eo uti non liceat ob conditiones aegrorum tunc maxime obvias, quae omnem eius usum excludunt, nempe debilitas, stomachi languor, febris, corporis habitus exsuccus, morbosa irritabilitas, ac manifesta labes humorum.

1186. Concludo proinde istud remedium utpote iisdem vitiis, exceptionibusque obnoxium, quibus Sublimati corrosivi usus patet, intus dandum non esse, saltem apud nos, vel tantum ipsum posse exhiberi, ut prudenter Cel. FRITZIUS suadet, ab eo sapienti Artifice, qui conditiones omnes perspectas habeat, quae ipsius Sublimati corrosivi usum vel permittunt, vel postulant. Hinc forte ratio elucescit, ob quam SWEDIAVRIUS, dum eius usum externum summopere extollit instar Unguenti citrini, de quo iam dixi (§. 1142.) in pertinacioribus cutis Syphiliticis affectibus, internum contra vix attigerit. Quod enim idem Auctor deinceps commemorat, Hydrargyrum nitratum cinereum BLACKII, utpote salinis praeparatis Mercurialibus mitius, ab eo, de quo loquimur, differt, quemadmodum liquor differt, ex quo BELLETUS Syrupum vegetabilem antivenereum parabat.

1187. Qui quidem Syrupus nunquam apud nos ad medendum traductus non est, quod hodie adhibeatur, cum iam ubique locorum utilis remedii nomen amiserit. Postquam siquidem Cel. HORNIUS (*a*) ostendit arcanum hunc Syrupum Hydrargyrum continere Spiritu nitri dulcis male solutum, ut interdum eius nimium, interdum nihil fere aeger assumat, multo minus coepit celebrari, et rarius adhiberi. Postea vero cum accurate suscepta experimenta declarassent, debilibus, et gracilioribus acredine sua non parum noxium esse; nec robustis, et firmis plane innoxium, ac morbum etiam non gravem raro tollere radicitus, imo interdum exasperare, quod idem Syrupus reliquum habebat nominis retinere non potuit.

1188. Quemadmodum vero Hydrargyrum ab Acido sulphurico etiam aggreditur, novum inde oritur remedium, nempe *Oxydum hydrargyri luteum ope acidi sulphurici* seu Turpethum minerale, aut Mercurius, sive flavus, sive emeticus flavus, sive praecipitatus luteus. Interim eiusmodi remedium nullius hodie usus est. Non enim in syphilide, non in hydrophobia, non demum in viscerum obstructionibus, tumoribusque olim crebro usurpatum, nunc propinatur. Vomitus quippe,

(*a*) Exposition des differéns méthod. d'administr. le Mercure.

pe, dolores stomachi, et ventris, alvus vehementer mota, salivae fluxus, atque alia incommoda, quae a duobus granis ad sex, sive in aqua solutis, sive mucilagine, aut syrupo exceptis generatim superveniunt, nec possunt tuto declinari, ubi quavis vice eius dimidium granum, non ultra, ore sumatur, Medicos tandem monuerunt, ut ab eo abstinerent.

1189. Ex Acido tartaroso praeterea cum Hydrargyro aliud Mercuriale remedium hac aetate Medicina desumpsit, nempe *Tartritim hydrargyri* seu Hydrargyrum tartarisatum, aut Mercurium tartarisatum, seu improprie Terram foliatam mercurialem. Nobis interim inusitatum plane est novum istud remedium, quod, ut notum est, Cl. PRESSAVINIUM inventorem agnoscit, qui ex eo solutionem, sive eius Aquam vegeto mercurialem paravit, atque addita decoctui ex cortice Chinae, gentiana, sarsaparilla, rhabarbaro, et guaiaco etiam Syrupum antivenereum confecit. Nunquam apud nos ita usu invaluit, ut modo possim definire, utrum sit PRESSAVINIO (*a*) subscribendum, qui plurimum magnificat in syphilide curanda, an reliquis, qui morbo vincendo impar medicamentum existimant.

1190. Cum acido deinde acetoso Hydrargyrum aliud medicamentum suppeditat, nem-

(*a*) Traité des Malad. Vénèr.

pe *Acetitim hydrargyri* seu Hydrargyrum acetatum, vel Mercurium acetatum; cuius sane inventi omne meritum perperam Cel. KEYSERUM nostra aetate sibi tribuisse Ill. REVSSIUS apposite observat (*a*). Animadvertit enim Mercurii acetati vim adversus syphilidem, aliosque morbos iam BERNARDO PENOTO ante centum, et quod excedit, annos innotuisse. Per se tamen istud remedium apud nos non adhibetur, nec quidem, si satis iudico, ab eius usu iniuria Medici abstinent. Ad eiusdem enim constituendum praetium quoties usurpavi, toties perspicue cognovi ipsum; quidquid de eius efficacitate dicendum sit, qua datum potuerit syphiliticos affectus mitigare, aut evellere, acre nimis esse, ut vel levissima propinatum dosi, aliisve contemperatum medicamentis prodesse queat, quin graves molestias inferat. Concitavit enim vero generatim tum primis, tum sequentibus diebus ad unum, alterumve granum bis, terve die exhibitum medicamen, mucilagine etiam arabica, aut alio rèmedio sive admixtum, sive solutum, stomachi, intestinorumque dolores, et nimis propere salivam elicuit. Quare undecim abhinc annis haec pericula instituens cum eorum exitus Medicinae Tironibus monstrarem ipsis quoque visum est Sublimati instar adeo periculosum, ut assentiendum non sit iis, qui in venereis affectibus, scrophulis, aliisque morbis non pauci faciunt.

(*a*) Dispensat. Universal Edit. secund. pag. 884.

1191. Ex his sane observationibus iam eruitur non multi usus esse posse Trochiſchos, aut Pilulas Keyserii, quae ex solutione Mercurii in aceto cum manna, aut cum amylo, et gummi factae magnum in Gallia nomen sibi compararunt. Sunt enim pilulae eiusmodi non paucis vitiis obnoxiae ob indolem remedii, ex quo coalescunt. Primo siquidem harum pilularum quam plurimae requiruntur, ut syphiliticos morbos evellant, neque interdum millenae sufficiunt. Deinde etiamsi, incipiendo a duabus, tribusve quavis die, usquedum quindecim, aut ultra aeger assumat, ille numerus expleatur, plerumque morbus non omnis discutitur. Facile rursus accidit, ut ab assumptis alimentis, potionibusque solutio remedii resolvatur, ac salivam generatim proliciat, quo minus eadem expedit, aut futura suspicatur, ex eo praesertim, quod alvum, atque urinam pilularum usus sollicitet. Tandem, observantibus Celeb. REUSSIO, et VOGLERO, cautissime licet exhibeantur eiusmodi pilulae, diarrhoea, nausea, vomitus, cardialgia, colici dolores, atque alia mala per raro possunt averti. Hinc concludere oportet, recte ab hoc remedio nostrates Medicos abstinere, praesertim cum in Insubria superioribus annis tentatum non uno funesto exemplo innotuerit plenum discriminis existere.

1192. Quod vero ex Acido boracico, cum Hydrargyro emergit *Boras hydrargyri* seu, ut iam alibi dixi (§. 1150) Sal sedativum Mercuriale, aut Hydrargyrum boraxatum, Mer-

curialium, quorum usus utilis est, supellectilem auget. Nam quod futurum praenuntiaverat eius inventor MOURVOUS ex eodem in aqua soluto, atque intrinsecus pedetentim dato a granis duobus ad maiorem deinde dosim in dies augendam, tum ex ipso pinguedine excepto, atque exterius illinito, consonum revera veritati iam experientia duodecim ante annis mihi luculenter monstravit. Plura siquidem experimenta a me tunc temporis instituta, quo observata Clinicorum, quae antivenercam facultatem, et commodum usum eiusmodi salis constituerent, adhuc deerant, evidenter declararunt vera esse, quae de eius efficacitate discrimine vacua ipse inventor sola coniectura ductus tradiderat. Etsi enim quotidie istud medicamentum ad pauca grana illinitum inunctiones cum unguento Hydrargyri puri non attingat, neque ore sumptum tantam vim habeat, ut, quin moveat salivam, syphilidem sanet, aut quando etiam movet, gravem, diutinamque aegritudinem prorsus evellat; stomachum nihilominus, atque intestina non laedit ea dosi ingestum, qua efficax esse potest, ac Mercurii gummosi, aut alterius lenis Mercurialis remedii mediocrem virtutem habentis effectus plerumque aemulatur: quemadmodum prolatis alio loco observationibus plenius evincam.

1193. Nunc superest, ut Mercuriale expendatur remedium, cui plane eximiae, reliquisque hactenus compertis maiores, atque innoxiae vires a Nuperioribus non paucis

tribuuntur. Hi siquidem existimant *Oxydum hydrargyri rubrum ex igne* seu Mercurium praecipitatum per se ad plures menses supra ignem protracta digestione, aut lucis, calidique liberi aeris accessu, atque actione praeparatum ad pauca grana exhibitum, vel instar pulveris cum saccharo, vel instar pilulae cum syrupo, aut mucilagine, certius, et tutius inunctionibus mercurialibus, aliisque remediis ex Hydrargyro intus exhibitis syphilidem sanare, quin plerumque manifestam exinanitionem moveat, ac speciatim salivam proliciat, aut iis obnoxium sit vitiis, quibus reliqua Mercurialia remedia maxime patent.

1194. Quare cum haec a Medicis quibusdam summa fiducia non multis abhinc annis proferantur, neque ob tam diutinam, sumptuosamque praeparandi rationem suppeteret remedium in Medicamentariis officinis, aut non ea saltem copia posset comparari, qua liceret experimentis eruere, utrum tantae vires essent admittendae, an partim cum iis negandae, qui salivam nimis facile movere, nec vitio plane destitui, nec efficacitate omnibus aliis Mercurialibus antecellere observant, Chemici laborarunt, ut ipsum praeparandi rationem expeditam, parum sumptuosam, atque aeque tutam invenirent. Praesertim vero in hac inquisitione curam impendere voluerunt postquam perperam suspicari, ac vana polliceri demonstrasset summae auctoritatis Vir SCOPOLIUS, qui in fodinis Mercurii, ac speciatim Hydryae Praecipitatum eius-

modi verisimiliter occurrere coniiciebant, aut praesto esse affirmabant.

1195. Accidit proinde, ut Mercurio praecipitato, (qui ea, quam mox dicebam, methodo confectus splendentem rubrum pulverem refert) alterum Ill. SAUNDERSIUS pari, sicuti censuit, virtute donatum substitueret, quem a medio grano ad unum bis die, aut, si validius agere conveniat, paullo ultra propinatum reliquis remediis extollit. Ex eo namque SAUNDERSIUS, FRITZIUS, aliique hoc praeparatum, aut quodvis aliud persimile caeteris Hydrargyri adhibendi rationibus longe antecellere iudicant, quia existimant, calcem Mercurialem ab humoribus humani corporis penitus solvi, facile a resorbentibus vasculis suscipi, omni acri, atque erodenti qualitate carere, atque eius dosim, quae corpus afficiat, tuto posse constitui. Quam quidem sententiam de calcis Mercurialis praestantia ideo maxime SAUNDERSIUS defendit, quia animadvertit, quod in ipso Unguento mercuriali, seu coeruleo exterius illinito agit, id tantum esse, quod in calcem tritura cum adipe redactum in aqua solvitur. Nam testatur Aquam cum unguento eiusmodi lotam ore sumptam syphilidem sanasse, unde apprime confirmetur eorum opinio, qui putant Hydrargyrum, nisi in statu calcis sit, non prodesse.

1196. Hisce autem prolatis adeo invaluit calcis Mercurialis praetium, ut nostris diebus, eam ocyus, ac rectius assequi aliis etiam rationibus adhibitis non pauci insignes Viri tenta-

rent. Hinc Thurbit nigrum, Mercurius gryseus, et Mercurius praecipitatus Wurzii emerserunt; hinc Mercurius solubilis, aut Mercurius niger emersit ab Ill Hahnemannio invectus, quem ego insignem Virum plurimi facio; atque hinc pariter originem duxit alia, quam ob faciliorem praeparationem ex soda, maioremque puritatem dum Ill. Moscatus caeteris praetulit, ut commodiorem etiam medicis usibus proposuit. Quae quidem variae praeparationes, cum calcem nobis praestent nulla salis Mercurialis acrioris specie admixtam, remedium quoque praestare censentur, quod cum sine ullo incommodo, aut discrimine a medio grano ad duo, bis, terve die a Cl. Viris, ac praesertim ab Hahnemannio, et Fritzio propinatum fuisset, visum est in syphilidis curatione aliis auxiliis tutius, promptius, atque efficacius existere.

1197. Profecto non is sum, qui velim meritum calcibus Mercurialibus detrahere quibusdam subscribens reputantibus earum usum neque citra omnem noxam institui, neque ob singularem aliquam facultatem anteponendum unquam esse aliis Hydrargyri usurpandi rationibus. Commodum quippe non raro auxilium easdem largiri, quod sine incommodo sive salivae, sive alterius exinanitionis interdum agat, ac syphilidem, aliaque ex ea profecta mala cito, atque efficaciter saepe sanet, tum ipse didici, tum ex aliorum ob-

servationibus satis eruo. Verum easdem calces in omni casu expedire, maiorem fiduciam inunctionibus mercurialibus hactenus mereri, ad graviorem, pertinacioremque aegritudinem vincendam plerumque valere, quando caetera non satis profuerunt omnem curationis paginam absolvere, nunquam fere movere salivam, ac stomacho, interaneis, aliisque partibus levi dosi exhibitas nunquam officere, res omnes sunt, quas ego non possum admittere.

1198. Et re quidem vera nemo, nisi partium studio addictus, ista admittet, qui mecum animadvertat vel ipsum ANTONIUM GALLUM, qui duobus abhinc saeculis, et ultra Mercurium in calcem redactum Praecipitati solaris nomine ad syphilidis curationem adhibuit, linitus ex Unguento mercuriali ei anteposuisse; GERVASIO UCAYO sequentis aetatis Medico, qui idem remedium magni fecerat, plerosque ita obstitisse, ut eiusdem postea usus plane exoleverit; Ill. GIRTANERIUM, aliosque nostra aetate observasse vomitus, diarrhoeas, aliaque incommoda calcium eiusmodi usum non raro excipisse; Cel. SWEDIAVRIUM tradere a se adhibitam Hydrargyri calcem perpetuo ventris dolores concitasse, quos Opio scio quidem non semper averti; plerosque nullam de eiusmodi remedio laudem protulisse, neque ullum ei singularem usum assignasse; ac primis vicibus calcem ad dimidium, vel unum granum sensilioribus propinatum, ut saepe observavi, vehementer alvum moliri, aut contra adstringere, doloribus, ac

tenesmo inductis, imo in plerisque cautissime administratam stomachum non parum infirmare, atque appetitum delere.

1199. Eiusdem rursus remedii laudes angustius adhuc mecum concludet, qui dein de animadvertat calcem Mercurii, quoties ad stomachum delata salem offendat, vel ab alimentis, vel ab ipsis haerentibus humoribus praestitum, toties, nato Praecipitato albo, tormina, convulsionesque concitare; levi etiam dosi Praecipitatum Hahnemannii a me exhibitum salivae fluxum generatim intulisse, sicuti ab aliis, ac speciatim a Cl. Paletta est observatum, qui etiam monet salivam ocyus, ac facilius aliis forte Mercurialibus movere; ab eiusmodi incommodo neque calcem alienam esse Ill. Moscati methodo paratam, quae a me quatuor aegris curationis caussa hactenus exhibita non ultra granum bis die, primis iam diebus, salivam facile, et copiose in duobus aegris elicuit, ac movisset in aliis, eius futurae signis iam editis, nisi ventrem ter, quaterve quotidie duxisset; calces Mercuriales non ita semper lenire, ac discutere symptomata, ut haec non iterum repullulent; in gracilioribus, atque infantibus vix, ac ne vix quidem, Mercurio gummoso, spectata actionis lenitate, sufficiendas esse; tum Hahnemannii Mercurium, aut aliud quodvis hactenus repertum calcis genus in lue graviori, atque in syphiliticis ossium malis sanandis nondum suam efficacitatem ea ratione comprobasse, qua in iisdem casibus haec medendi ratio

cunctis aliis, utpote validior, ac tutior anteponenda videatur.

1200. Haec sunt medicamenta ex Hydrargyro ducta, quae exequenda iudicavi, caeteris non sine caussa reiectis, quae a quibusdam Medicinae Scriptoribus proferri solent. Non enim duxi de Aqua Phagedaenica, sive Liquore Mercuriali repetere quod (§. 899.) iam protuli; non aliquid de *Phosphate hydrargyri* seu de Praecipitato rosa Lemery proferre, postquam Ill Fourkroeus summopere alienum, et pravum iudicavit (*a*); non pluribus esse hic commemorandum sive Emplastrum de Ranis cum Mercurio, quia cum Emplastro mercuriali communi, quoad vires, atque usus convenit, sive hoc ipsum, quod induratis tumoribus, bubonibus, gummis, et tophis crebro imponitur, quia eo certius, promptius, ac lenius Unguentum illinitum agere solet; non attingendas Pilulas antivenereas cum mica panis Hoffmanni, Heroldii, Voglerii, aliorumque quia cum omnem potestatem a Mercurio sublimato corrosivo accipiant, huius etiam solutione minus convenire mihi videntur; non denique, sive probandas, sive refellendas quas Swediavrius indicat, atque in quibusdam casibus efficaces vocat, Guttas albas Wardii, quia nobis plane insuetas neque ab

(*a*) L' Art de conn. etc. les Médic. T. II. p. 325.

aliis usurpatas vidi, neque ipse unquam adhibui.

1201. Voluissem interea horum remediorum loco aliquid de iis proferre, quae nobis pollicentur aliae a summo Viro BERGMANNO non multopridem invectae Hydrargyri praeparandi singulares rationes, etsi non multa polliceri videantur. Voluissem nimirum sive proprias, sive ab aliis Clinicis institutas observationes mihi suppetere, quibus innixus possem constituere, num Hydrargyrum, quod ipse vocat, citratum, num fluoratum, num aereatum, num phosphoratum, num oxalycum, num succinatum, num denique ex alio quovis acido praeparatum medicis usibus expediat, quibus maxime casibus opituletur, ac quanam ratione auxilium afferat. Non enim puto ideo inutilem esse eorum contentionem, qui ad nova detegenda Mercurialia remedia incumbunt, quia tot, tantisque iam Medicina ditetur. Nam in tanta etiam, quae suppetit, eorum copia sapientium Clinicorum iudicio vix ullum ex tutis, neque inefficacibus, aut interdum periculosis supervacaneum dici potest, quoniam ob multa morborum, aegrorumque praesertim discrimina suus cuique locus, suaque interdum utilitas est. In singulis veró, quae hactenus in usum veniunt, Mercurialibus remediis tantum abest, ut nihil, quo ad usus iucunditatem, aut securitatem, aut tutissimam indolem, aut effectus promptitudinem, aut perpetuam efficacitatem desiderandum supersit, ut credam, neminem

adhuc eo usque pervenisse, quo oportet, ut quis tandem rei metam attingat. » Omne quidem, (inquit apposite (*a*) Ill. GREGORYUS) » hac de re tulerit punctum, qui talem Argenti » vivi praeparationem invenerit, qualis et » luem veneream penitus eradicet, et simul » neque salivam moveat, neque os, neque » ventriculum, neque intestina laedat ».

1202. Quare fit, ut Mercurii usus non omnium aegrorum rationibus conducat, ac dum suscipitur, multa servanda requirat, praeter illa hinc illinc adducta, ut non minus innocuum, quam proficuum evadat. Praeter illas siquidem observationes, quas singillatim quodvis Mercurialis remedii genus exigit, aliae non paucae communes occurrunt. Ego praecipuas tantum attingam, caeteras aliis tradendas relinquens, qui syphiliticorum morborum singulares curationes exequuntur. Paucis itaque monebo susceptam cum Hydrargyro curationem tam nocuam, ac non raro perniciosam phthisicis, hectica, aut quavis alia lenta febre detentis, inflammatoria aegritudine laborantibus, scorbuticis, et cancro alicubi occupatis cedere, ut isti prorsus debeant abstinere, eamve non prius suscipere iuxta ASTRUCII, SWEDIAVRII, aliorumque consilium, quam vel antea praemissa fuerint, vel urgente necessitate, quo tempore datur remedium

(*a*) Op. cit. n. 1525.

apte interposita medicamenta, quae aegritudo cum syphilide complicata requirit. Monebo etiam summa cura inspiciendum esse, quando insignis praesto est debilitas, utrum a syphilidis viru, an ab alia caussa pendeat. Nam quemadmodum, iamdiu docentibus Clinicis, in priori casu virium infirmitati nullum Hydrargyro aptius auxilium subvenit, in altero aliud eidem Mercurio praemittendum, interponendumque remedium est, quod roboret, restauret, viresque confirmet.

1203. Quo quidem in casu, licet exiguis dosibus Corticis Peruviani cum Cinnamomo in vino Rhenano apte infusis anteponere soleat SWEDIAVRIUS, ubi magna virium infirmitas praesto est, usum Ferri in scobem redacti aethere vitriolico soluti, sive Tincturae nervinae correctae; ipse nihilominus generatim Cortici primas defero, quia novi dum vires reficit, alia etiam multiplici ratione syphiliticis prodesse. Ciborum siquidem concoctionem iuvat, mobilitati nervorum medetur, convulsiones avertit, corruptionem humorum arcet, exinanitiones ita moderatur, ut impedimento sit, ne alterutra Mercurio incitata modum excedat, neve maxime ob laxitatem salivae fluxus erumpat, gangraenam, et cariem praecavet, aut praesenti valide resistit, ulcerum pravam indolem emendat, opus naturae plurimum adiuvat, dum carie obsitum os a sano nititur separare, ac denique efficit, ne infirmitas, laxitas, cachexia, polysarchia, aut hydrops diutinam, validamque Mercurii-

actionem, aut inde natam exinanitionem excipiant.

1204. Hinc quisque facile explicabit cur in Anglia Corticis Peruviani usu Syphiliticorum curationes Mercurio commissas tutiores, promptioresque nonnulli Clinicorum reddiderint, tum ipse eas saepius potuerim cum Mercurio Corticis subsidio perficere, quas secus, ne quidem tentare potuissem. Superioribus siquidem annis cum quibusdam aegris syphilide implicatis medicina facienda esset, in quibus ob male administratum Hydrargyrum, aut ob morbi diuturnitatem, aut ob pravam corporis constitutionem, confirmata venerea aegritudo adhuc saeviebat cum virium prostratione, fibrarum insigni laxitate, cachexia, ac praesenti metu, ne ex Hydrargyro, cautissime licet dato, fluxus salivae, aliave immodica exinanitio superveniret, Cortex peruvianus abunde, diuque datus insignem opem attulit. Eius quippe copiose nunc praemissi, nunc toto fere curationis tempore Mercurio interpositi medicatissima vis iis tuto, sive sublatis, sive prohibitis, quae alienum, ancipitem, ac periculosum Hydrargyri usum efficiebant, hunc ipsum cum inunctionibus susceptum tam tutum, tamque efficacem reddidit, ut neque prava, ac rebellia faucium, verendorum, aliarumque partium ulcera, neque ossium affectus, eorumque caries, neque alia gravia mala perfectae morbi sanationi obessent. Quarum quidem curationum, quae dum cito, et com-

mode cesserunt, radicitus quoque morbum sustulere, testes appello, qui me in Valetudinario medicinam facientem sequuti earum exitus notarunt, atque historice exaratos memoria forte non indignos mihi tradiderunt.

1205. Ex his praeterea observationibus non declaratur modo Corticem Peruvianum per se magnopere conferre, ut inchoanda, aut suscepta cum Hydrargyro curatio prospere, pleniusque succedat, verum etiam cum lacte coniunctum. Quemadmodum enim iamdiu novimus Syphiliticorum, praesertim debiliorum, morbosaque irritabilitate una laborantium rationibus lac saepe accommodatissimum esse; ita pariter experientia didicimus cum Cortice inprimis assumptum non raro expedire. Dum enim Corticis vis efficit, ut lac, quod secus ob stomachi imbecillitatem aegre ferri posset, quam facile concoquatur, ipsa contra lactis lenissima indoles ita corticis stimulum contemperat, ut eum, crebro, et copiose licet datum, queat aeger commode sustinere; qui secus ob sensilitatem, irritabilitatemque ventriculi e morbo profectam, ac cum debilitate coniunctam non tantum eius posset usurpare, quantum singulares morbi, corporisque rationes requirunt.

1206. Quoniam autem de lactis usu in syphilidis curatione, quae cum Hydrargyro fit, sermo incidit, locus monet, ut fatear in hac re me neque iis subscribere, qui lac ad aliquot uncias semel, bis, terve sumptum, aut lacteam etiam diaetam Syphiliticis Hy-

drargyro utentibus generatim utilissimam censent, neque iis assentiri, qui in omni fere casu alienum acriter tuentur. Ne enim quid nimis admittam, ac modum in hac re pariter adhibeam experientia iubet. Huius quippe subsidio didici, quando vires satis vigent, neque inopia humorum, aut singulare quodvis occurrit vitium, imo succi abundant, atque integra vis Hydrargyri requiritur, quae expedite, valideque se exerat, supervacaneum, atque alienum lac esse. Contra vero reperi opportunissimum, ac plerumque prae aliis auxiliis necessarium, quando debilitas, nutritionis defectus, provecta macies, et stimuli Hydrargyro proprii naturalis indoles, pro aegri natura nec levis, nec innocua praesto sunt; quando in longum curatio trahenda sit; ac quando denique oportet ob corporis conditionem curare, ut alia in humoribus praesertim haerentia vitia corrigantur, aut saltem actione Hydrargyri non invalescant, vel convenit maciem removere, atque illam morbosam irritationem, humorumque labem, quam solutionis, aut acrimoniae nomine plerique designant, quamque nimis audax, improvidus, diuturnus, ac nimis protractus Hydrargyri usus post se non raro relinquit.

1207. Profecto tunc lac praecavendis non levibus incommodis tam aptum auxilium existit, ut iisdem quoque, ubi ex allatis caussis invaluerint, removendis valde idoneum reperiatur. Non solum quippe dum exhaustos Hydrargyri usu Syphiliticos restaurat, atque im-

implet, ac cum Cortice Peruviano, roborantibus, adstringentibusque usurpatum, laxitate sublata, roborat, et firmat, humorumque vitia emendat, atrophiam, tabem, aut contra polysarchiam, cachexiam, atque hydropisin arcet; verum etiam hisce affectibus quandoque remediis aliis potentius, certiusque medetur. Ne caetera siquidem, quae mihi suppetunt, observata attingam, lactea diaeta cum cortice instituta duas Mulieres mediae aetatis celeriter, atque iucunde tredecim abhinc annis persanavi, unam a tabe lenta febre stipata, alteram a gravi totius corporis hydrope, quibus morbis iam frustra vario auxiliorum genere tentatis, Hydrargyri ad syphilidem vincendam abusus, ac diutinus salivae fluxus caussam praebuerant.

1208. Num vero quando lac Syphiliticis convenit, maxime, ut prope exhausti refocillentur, refectisque viribus curationi locus fiat, ex Swediaurii consilio expediat adulto aegro praecipere, ut muliebre lac, sive idoneo instrumento emunctum, sive ex ipsis optimae Nutricis uberibus ore suctum hauriat, non est sane quod modo quaeram. Nam hoc ipsum praestare ob manifestas cuique caussas non iuvat, primum vero ob rei difficultatem, nec obviam semper boni, et copiosi lactis opportunitatem non vacat. Neutrum autem ideo maxime expedire existimo quia mihi perspectum est, et cognitum ubi vaccino medicatius, ac muliebri dulcedine propius lac conveniat (§. 202.) huic asininum commode substitui.

1209. Cibi praeterea, potusque ratio, quae Hydrargyro utentibus conveniat, in quaestione quoque versatur. Ad remedii quippe efficacitatem adiuvandam nonnulli perhibent tenuem admodum cibum, atque ex uno fere genere levis materiae sumptum cum omnimoda a vino abstinentia convenire; alii contra vix quidquam e consueta victus ratione detrahendum esse existimant. Illi eo modo praecavere student ne vires aequius excedant, alii ne deficiant, dum interim utrique non ambigunt in statuendo regulam, quam proponunt, servare, idem esse ac magis proficuam, et tutam Hydrargyri vim reddere. Est porro utrinque nimium partium studium, et nimis generale iudicium, ut alterutra opinio tuto amplectenda sit. Nam cum ea esse debeat corporis conditio, in quo Hydrargyri vis periclitanda est, ut nullum quo ad vires, sive ab excessu, sive a defectu vitium subsit, aut discrimen fiat, eam perpetuo inspicere oportet, unde quis tutissime constituat, utrum tenuis, mediocris, aut plenior diaeta Syphiliticis profutura sit. Ubi enim ob aegri naturam, et copiam humorum, aut futurae inflammationis metum vel initio curationis sanguinem mittere, vel ea suscepta primo detrahere, aut iterum educere expediat, ac quae antiphlogistica sunt, usurpare, quis non sibi a vino, alimentorumque copia temperandum esse perspiciet? Quis, ubi oppositum occurrat, non apto ciborum animalium, ac vegetabilium genere, quod tuto, ac

apposite nutriat, viresque restauret, atque optimi vini mediocri usu vires non incitabit animo reputans, istis debilibus, fractisque, Hydrargyrum vel non convenire, vel saepe nocere, vel saltem parum prodesse?

1210. Assequimur proinde quî fiat, ut apud nos, ubi in Syphiliticis vires raro excedunt, aut satis vigent, imo progressu curationis saepe fatiscunt, generatim tenuis victus ratio non conveniat; utilissimum vero sit ad omnem ex Hydrargyro consequendam utilitatem, quo ad cibi, et potus usum, intra tutissimos aureae mediocritatis limites se continere, quos virium ratio, aegri proprietates, atque effectus tum ex victu, tum ex remedio ultro se prodeuntes praefiniunt. Quamobrem quisque facile intelligit cur Syphiliticis, quibus hic loci medendum sit, ob saepius obviam debilitatem, et laxitatem plerumque liberalior etiam cibi ratio indicetur, quam alibi expediat, tum vini usus saepius interdicendus non sit, qui stomachi praesertim vim modice usurpatus excutiat, atque assumpti alimenti coctionem adiuvet. Quo evenit, ut Syphiliticis illae quoque generales regulae alienae non sint, quas circa rectum cibi, et potus usum in adversa valetudine, quo ad vim, atque indolem, alio loco proposui, dummodo cura habeatur, ut aegri ab acidis, et salitis cibis abstineant, nec vina usurpent, quae nimium habent acorem, aut ad roborandum minus valent.

1211. Oportet praeterea quemque, sive interius, sive exterius Hydrargyrum usurpet, frigidum, humidum, et nocturnum aerem vitare. Secus enim cutis exspiratione cohibita, aut subito, quae forte fluebat, saliva suppressa, confestim gravia mala sequuntur inter se admodum varia, prout humorum affluentia, aut vis medicamenti in ventrem, vel in caput, vel in aliam corporis partem impetum facit. Hinc ex eiusmodi caussa alvi profluvia, tormina, cephalalgiae, deliria, inflammationes, pectoris oppressio, convulsiones, aliaque plura a Medicis commemorantur, quibus, nisi protinus contrariis occurratur, nunc sanguinis missione, nunc iis, quae sudorem movent, nunc quae salivam restituunt, nunc quae aliorsum derivant, aeger in vitae discrimen adducitur, atque interdum conficitur.

1212. Caveat interim aeger, ne, dum noxas ex frigido, humidoque aere futuras declinat, nimis calido, et sicco temere utatur. Quamquam enim a Clinicis iamdiu animadversum sit, susceptam cum Hydrargyro curationem sub calido coelo, aut calida tempestate existente, magis promptam, atque efficacem esse, atque iis generatim incommodis, et periculis vacuam, quibus obnoxia est in frigida regione, atque hyeme tentata, animadversum quoque est nimio, sive aeris, sive corporis calore eandem perturbari, atque ob alias caussas ancipitem, ac periculosam evadere. Ergo prudentis Medici erit, ubi casus non urgeat, neque hyeme asperrima, neque aestate fervidis-

sima cum Hydrargyro curationem suscipere, aut saltem, ubi cunctationi locus non sit, eam aggredi iis usurpatis vulgatissimis praesìdiis, quorum commodo tutissimum est iniurias sive frigoris, siveaestus avertere.

1213. Praeter haec alia non pauca ab iis servanda sunt, qui Mercurio curationis caussa utuntur, quae singillatim tradere ad eos pertinet, qui de syphiliticis morbis curandis speciatim disserunt. Qui quidem cum tradant quo usque oporteat, pro vario, quod adhibetur, Mercuriali remedio, in eius usu persistere, quando conveniat aliis medicamentis eiusdem actionem adiuvare, quibusque modis expediat occurrere incommodis, quae ex eo interdum nascuntur; ego neque ista proferam dum iisdem etiam relinquo decernendum, num qui fidentissime docent eam Hydrargyri usurpandi rationem, quam Mixtam curationem dicunt, alienam prorsus esse, satis tutam sententiam defendant. Quae enim adversus eiusmodi methodum Gardanio, aliisque non paucis acceptam protulit inter caeteros Fritzius, non tanti mihi videntur, quanti nonnulli habent. Quando enim aegritudo invaluerit, admodum saeviat, atque intimius se adegerit quisnam spectata partium fabrica, ac perspecto novissime illustrato lymphaticorum vasculorum systemate, non consentaneum rationi existimabit istud medendi genus, quo dum exterius usurpatur Hydrargyrum, interius pariter, modo quotidie, modo diebus alternis, modo subinde adhibetur? Quis enim veluti

alienum, nunquam simplici methodo prae-stans, ac perpetuo periculosum prorsus reii-ciendum clamabit qui mecum viderit, non raro gravioris, atque inveteratae syphilidis curationem hoc modo praestitam tam auspi-cato cessisse, ut etiam contumaciorem aegri-tudinem interdum sustulerit, quae Hydrargy-ro sive extus, sive intus adhibito restiterat?

1214. Erit etiam Medicorum, qui sin-gulares cuiusque morbi curationes proponunt, rationes indicare, quibus quisque probe sciat latentes aegritudines agnoscere, quae licet aliam speciem exhibeant, a venereo tamen viru natae sine Hydrargyri usu sanari non possunt; tum eas apte eruere, quae, etsi a ve-nerea labe originem ducere videantur, aliam tamen caussam agnoscunt, atque aliud pro-inde medendi genus requirunt; tum rursus inter alias, quas idem venenum parit, perspi-cere quaenam, sive pravo remediorum usu, sive alia quacumque caussa, a pristina in-dole desciverint, Hydrargyrum non amplius admittant, et quaenam sint sine eo non aegre, imo tutius curabiles; tum demum opportune distinguere, utrum cephalalgia, artuum, alia-rumque partium cruciatus, tremores, cutis eruptiones, ulcera, aliaque mala, quae in ae-gris Mercurium iam expertis supersunt, a morbo pendeant, qui eius usum diuturnio-rem, aut aliquo modo mutatum adhuc po-stulet, an contra profecta sint ab eiusdem medicamenti indole, aut abusu, qui alia au-xilia ad mala ista vincenda accommodata ne-

cessario requirat. Haec quippe singula persequi cum nostrum non sit, satis erit indicasse, ne quis ex eorum ignoratione Hydrargyri virtuti non credens, vel nimis confisus, vel quod huius est, morbo tribuens coniectura sua periclitetur, atque Hydrargyro nunc neglecto, nunc nimium dato, nunc improvide adhibito, aegrorum rebus male prospiciat, quibus secus providentissime consulere potuisset.

1215. Qui vero adducta rerum discrimina, atque exceptiones, et pericula, quibus Hydrargyri usus obnoxius est, animo reputat tam prudenter eum quovis in casu instituet, ut vix unquam, cui etiam non subvenerit, detrimento sit. Qua quidem prudentia eo magis opus est, quo iamdiu innotuit noxios Mercurii effectus, seu quae post se relinquit corporis vitia, non semper eiusmodi esse, quibus aut facile, aut tuto saltem liceat mederi. Nam praeterquamquod tremores, paralyses, contractiones, aliaque mala interdum insanabilia Hydrargyri abusum excipiunt, caetera etiam, quae generatim curationem non respuunt, remediorum virtuti quam saepe aegre obtemperant. Etenim modo antiphlogistica, modo calida balnea, modo demulcentia, modo sudorem pellentia, modo nutrientia, modo roborantia non solum satis promptum, atque efficax auxilium non afferunt, sed neque ipsa medicamenta, quae singulari proprietate, aut saltem maiori efficacitate pravos submovere effectûs Hydrargyri censentur, adeo valida,

ac tuta sunt, ut iam desinant Medici desiderare remedium, quod noxis ab Hydrargyro illatis praesentius medeatur.

1216. Et re quidem vera quod ad id aptius auxilium censetur a *Sulphure sublimato* seu flore Sulphuris praestitum intus exhibitum non raro spem Medici eludit. Neque decocta lignorum Sassafras, et Guaiaci, tum radicum Sarsae parillae, Dulcamarae, Bardanae, Astragali, ac similium, tum quorundam Corticum, expectationi semper respondent, quamquam alia commoda suis locis proponenda Syphiliticis praestent. Neque ipsa resina Guaiaci, quae potior virtute existimatur, suam semper efficacitatem effectu solet comprobare. Neque ipsa demum, quae ex Stybio, ac praesertim ex eo cum Sulphure emergunt remedia multarum virium, etsi Syphiliticorum rationibus non raro conducant, paria semper sunt, sive praecavendis, sive mitigandis, sive evellendis effectibus, quos abusus Hydrargyri solidis, fluidisque partibus attulit.

1217. Utinam vero efficax saltem auxilium paratissimum haberet Medicina, quo ex Hydrargyro futurum fluxum salivae, aut iam ortum certo posset avertere, vel tollere. Tunc sane haberet praesidium, quo plurimam opem posset aegris quibusque Hydrargyro utentibus afferre. Sed quemadmodum nullum hactenus suppetit Mercuriale remedium, ut iam vidimus, quod vel indole sua, vel adhibendi ratione nequeat unquam salivam pro-

licere; ita (quod dolent pariter Medici) nullum auxilium adhuc compertum est, quod perpetuo salivam Mercurii potissimum virtute incitatam prohibeat, vel semel inceptam brevi, et tuto supprimat, vel largiter iam erumpentem confestim moderetur, ac facile, et sine ullo discrimine sistat. Non enim modo quaerendum est quid salivam cohibeat, sed quid maxime impune eam cohibeat. Ex eius quippe profluvio repente prohibito, ubi praesertim ex Mercurio invaluerit, humorem in glandulis copiose aggestum modo diras inflammationes concitasse, modo spiritum interclusisse, modo ad cerebrum, pectus, aliasque partes traductum apoplexiam, lypothymiam, syncopem, iliacos dolores, mortemque ipsam brevi intulisse funesta, nec rara quidem, exempla docuerunt.

1218. Quamquam tamen nondum detecta sint, quae in omni casu ad salivae fluxum sive prohibendum, sive sistendum valeant, non desunt tamen, quae utroque fine adhibita Medicorum expectationi saepe respondeant. Ad primum enim assequendum praesertim conferunt prudens quo ad praeparationem, et copiam, Mercurialis remedii usus, sollicita cura vitandi frigidum, humidum, et nocturnum aerem, vel contra nimis calidum, ac non satis renovatum, recta corporis tutela ex veste multa, aut ex lanea tunica carni adhaerente, calida balnea, atque ea medicamenta, quae intus varia forma usurpata, cutis exhalationem, vel urinam solent incitare,

cessatio a remedio cum iam prima erupturae salivae indicia se exerunt, lenis alvi ductio prudenter iterata, conveniens aegri naturae cibi, potusque ratio, atque abstinentia ab iis omnibus, quae ad salivae organa humores alliciunt, ac speciatim, ut apposite animadvertit Swediavrius, ab incepta consuetudine fumi ex Tabaco fistula hauriendi. Ad alterum vero obtinendum, quod magis arduum est, praestat, ut Artifex intermittat protinus medicamentum; si plethora, phlogosis, aut nimia virium incitatio est, sanguinis missionem, crebrum diluentis, et temperantis potionis haustum, ac tenuem victus rationem iubeat; si contra debilitas, aut laxitas occurrit, roborantia ex Cortice Peruviano presertim, et Ferro suadeat cum puri, renovati, ac maxime campestris aeris usu, atque una cibi, et potus qui vires restauret; tum mucilaginea, oleosa, atque anodyna, imo interdum opiata praescribat; alias diaphoretica, frictiones, ac balnea calida adhibeat, vitato tamen corporis, aut aeris aestu; ac demum mature ad alvum lenibus remediis humorum affluentiam ea ratione ducat, qua nullus metus subsit, ne alvi fluxus immodicus fiat, aut diutinus evadat, aut ex prava indole eorum, quae excernuntur, interanea laedantur.

1219. Istis autem sive ad praecavendum, sive ad removendum salivae fluxum nonnulla antecellere censentur, quasi certa, et singulari virtute agerent. Verum horum pretium perquirenti mihi innotuit decocta, aut colutiones

ex roborantibus, adstringentibusque remediis vix non inutile afferre praesidium, quando ob diutinum fluxum relaxata oscula vasorum salivam demittunt; Camphoram, quae etiam externis admixta remediis Mercurialibus tanti olim habebatur, salivam neque avertere, neque supprimere, imo potius, ut alibi animadverti (*a*), promovere, nisi ea incitare vires, et cutis exhalationem intendere expediat; Sulphuris flores, atque eiusdem hepar, quod magni facit HAHNEMANNIUS, remedia utique esse, quae interdum mihi prospere cesserunt, ita tamen, ut saepe fallant, ac prae istis Aquam sulphuricam, seu hepaticam arte paratam, quam iamdiu auspicato usurpavi, magis forte expedire, si non solum in ore aeger eam detineat, sed subinde, et copiose hauriat; medicamenta ex Sulphure, et Stybio praeparata nimis lente, quando prosunt, operari, ut plurimi facienda sint; Aurum fulminans fidentissime a quibusdam propositum non ad cohibendam, sed ad ipsam potius incitandam salivam aptum reputandum esse remedium, cum per se (§. 1068.) vel exiguissima dosi eiusdem profluvium invitet; denique vesicatoria, setacea, et cauteria, etsi in diutino salivae fluxu tum olim a Medicis, tum nuper a SWEDIAVRIO proposita sint, suis persaepe exceptionibus obnoxia esse.

(*a*) De Animal. ex Mephit. ec. interitu.

1220. Non inutile proinde erit experiri ex eiusdem Auctoris consilio, ubi nulla iam consuetis auxiliis salivae sistendae spes maneat, ac res in praecipiti sit, quid possit frigida aqua saepius, capiti, ac faciei inspersa, dum interim aeger salivae profluvio detentus in calido balneo versatur. Nec erit alienum, ubi phlogosis, aut nimia oris irritatio absit, tentare num Alcohol aqueum ita dilutum, ut eius fervor neque faucibus, neque stomacho officiat, paullatim ore sumptum in saliva sistenda eam vim innoxiam, expeditam, et praesentissimam generatim habeat, quam mihi ter in aegris nuperrime exhibuit, ac sibi quoque exibuisse Cl. Borda noster testatur. Profluvium quippe, quod hepati Sulphuris saepius dato, et largiter exhibitae Aquae hepaticae restiterat, protinus ita cessit usui illius remedii, ut nova Mercurii administratione, renovatum intra paucas horas, moto sudore, iterum prorsus removeret. Erit denique utilissimum inter singula genera remediorum perquirere, utrum auxilium Medicina sibi possit tandem comparare, quo sine ullo salivae metu, aut cum certa, ubi invaluerit, eiusdem cohibendae fiducia queat Hydrargyrum administrare, quorum maxime rationibus tantum remedium conducit; praesertim cum hodie evictum sit, non solum alienum esse ad syphilidem vincendam eius ope movere salivam, sed ad quaedam etiam mala sananda, in quibus idem magnopere proficuum censetur.

1221. Profecto praeter syphilidem novum non est ad alios morbos curandos Hydrargyrum adhibere, etsi in quibusdam usurpare novum plane sit. Novum porro est ad dyspnoeam ex variolis ob organa respirationis inflammatione tentata ortam vincendam Mercurium dulcem, aut solubilem HAHNEMANNII vel per se, vel cum Opio praescribere, vel exterius Hydrargyrum illinire donec salivae fluxus incipiat, prout Ill. REILIUS novissime proposuit (*a*). Novum est non solum in ophtalmiis quibusdam a rheumatica, et scrophulosa labe profectis Mercurium intus adhibere, verum etiam quasdam sive a blenorrhagia syphilitica, sive a blenorrhoea, sive ab alia caussa pendeant, eo oculis illinito curare. Novum in hydrocephalo interno, in angina maligna, atque in non paucis partem aliquam tentantibus inflammationibus petere auxilium a salivae fluxu ope Mercurii dulcis concitato. Novum pariter est ad quaedam variolarum malignam indolem habentium mala, vel praecavenda, vel discutienda, tum ad corpora eorum praeparanda, quibus insitio praestanda sit, Mercurialia remedia quorundam more in usum vocare, cum alii sive naturalis, sive insitione excitati variolosi morbi felicem exitum hoc medendi genere praeverti affirment. Novum denique est, non quidem, quod iamdiu fieri consueverat, abdominalium viscerum, maxime-

(*a*) Memorab. Clinic. Vol. II. fasc. I.

que hepatis obstructiones, ac tumores Mercurio vel intus dato, vel extus illinito tentare, sed post unam, alteramve sanguinis missionem, ipsam quoque eiusdem iecinoris inflammationem superstitem Indorum more committere Mercurio, eumque tam audacter, ac fidenter usurpare, ut quidam non animadvertant laesiones visceris repertas in iis, qui sub hac curatione interierunt a praecoci, et liberaliori eius usu originem interdum duxisse.

1222. Ad nova etiam, et recens inventa pertinet Unguentum mercuriale illinire, ut pustulae ex Variolarum viru e quibusdam partibus prohibeantur, quemadmodum Cl. Lapius multiplici ductus experientia suadet. Sunt tamen qui quaerunt, num id saepius expediat, sitque tutissimum, quod nonnulli denegant; sunt qui alio remedii genere, ubi variolas arcere conveniat, prohiberi minori discrimine putant; sunt denique qui non Mercurio, sed adipi, atque ex eo prohibitae cutis siccitati eruptionis impedimentum tribuunt. Num vere? Id proprium esse Mercurio, quatenus variolarum virus destruit, Lapius defendit. At reponunt alii Ill. Cotunnium post Arabes cognovisse ad palpebras, aliasve partes a variolarum pustulis praeservandas accommodatissimum praesidium esse humido panno eas extrinsecus tum mature, tum toto eruptionis tempore madefacere (*a*). Dispiciant igitur alii quaenam in hac concertatione sententia tutior sit.

(*a*) De Sedib. Variolar. §. 53.

1223. Novissime etiam Hydrargyri usus in novo pariter morbo invaluit, in ea scilicet aegritudine, quae nuper in Canadensi Provincia primum apparuit variis nominibus designata, quam natura, symptomatum agmine, atque exitu teterrimam uno Hydrargyro cum anodynis praesertim, aut cum lacte usurpato radicitus tolli Cl. BOUMANNUS testatur. Ab hac vero aegritudine cum ea, quae Sibbens vocata est, nobis etiam incognita nullatenus dissentire SWEDIAVRIO videatur, mirum esse non debet, si ei quoque Hydrargyrum mederi quidam fidenter existiment. Potius dubitari poterit, num idem remedium in singularibus aliis morbis, quibus Siamenses, atque Amboinenses obnoxii sunt, recte proponatur, cum nondum evictum sit, quod a nonnullis traditur, eiusmodi morborum, seu Morbi Siamensis, ac Variolae Amboinensis, naturam a syphilide non diferre.

1224. Sed dum Hydrargyrum in istis morbis magnam apud Medicos fiduciam nostris diebus sibi comparavit, eam partim amisit, quam in aliis morbis, maximeque in rabie, seu hydrophobia, sive praeservationis, sive curationis caussa adhibeatur, quinquaginta ante annis praesertim acquisiverat. Praesertim, inquam, cum iis assentiri non possim, qui huius inventi, quo aquae metum avertere, aut discutere nititur Medicina, omnem laudem PETRO DESAULTIO deferunt, quasi primus tantam Mercurio vim adseruisset, ac speciatim linitus Mercuriales probasset. Ete-

nim, ut mittam tum proxime elapso saeculo ad exitum tendente RAVELLYUM Mercurii internum usum rabido animante demorsis suasisse, ac TAUVRYUM multum laudasse, tum hoc ipso ineunte ASTRUCIUM hydrophobiae antidotum Hydrargyrum iam habuisse, invenio IULIUM PALMARIUM duobus abhinc saeculis loquentem de Argento vivo forma unguenti adversus rabiem adhibito (*a*). Certum interim est DESAULTIUM Hydrargyri usum non ad discutiendum, sed avertendum aquae pavorem suis periclitationibus suffultum, quae auspicato cedere visae sunt, ita renovasse, ut plurimi deinde eum sequerentur, atque in primis SAUVAGESIUS, et CHOISELIUS, qui hoc praesidio ingentem prope Hominum numerum a rabie servasse glorientur.

1225. Sicuti vero hydrophobiam tutissime averti hoc medendi genere crediderunt, abs re non erit methodum, quam sequuti sunt, proponere. „Cum sufficiens tempus, „inquit SAUVAGESIUS, suppetit, et primis a „morsu diebus accersitur Medicus more Cl. „DESAULT, du CHOISEL, ac BERTRANDI „Monspelliensis Medici, quem usque se„quuti sumus, et olim depraedicavimus, exi„gua dosi pomatae Neapolitanae, ad drach„mam unam scilicet alternis diebus, interpo-

(*a*) De Morb. Contag. Lutet. 1576.

„ sitis, si commodum sit, balneis illiniatur,
„ ut Hydrargyrus pacatissime omnes corporis
„ maeandros pervadens sine tumultu, et in-
„ flammationis metu venenum ubique extin-
„ guat, quod in syphilide curanda duplo ta-
„ men maiori dosi ob praegressas praepara-
„ tiones aegri instituere consuevimus, adeoque
„ ea lege, ut sensibilem ptyalismum vitemus,
„ quo scilicet fit, ut Hydrargyrus citius,
„ quam par est, extra corpus delabatur. Qui-
„ cumque has duas regulas sequuti sunt, nul-
„ lo excepto, utut demorsi in facie, vel ca-
„ pite, quantum mihi hactenus notum est,
„ evasere. Quamquam autem hac methodo hydrophobiam praecavere consueverit SAUVAGESIUS, attamen scire expedit quos profert DESAULTIUM, ac CHOISELIUM non eodem plane modo curationes suas inivisse. Nam ille inunctionibus PALMARII pulverem interponere solebat, hic vero ipsis minori intervallo absolutis una addere internum Mercurii, aliorumque remediorum usum, quem Pilulae mercuriales purgantes praestabant.

1226. Cur itaque, si nunquam fallit Hydrargyrum praeservationis caussa usurpatum, non pauci Proceres Artis nova, quae aquae pavorem averterent, quaerere non destiterunt; cur alii quae antiquitus adhibebantur eius loco recipere maluerunt; cur nonnulli vix ad aliorum medicaminum efficacitatem adiuvandam usurparunt; cur NUGENTIUS, CAMUS, aliique Hydrargyri usum improbare ausi sunt; cur denique vix corona donata a

Tolosana Academia SAUVAGESII dissertatione, qua Hydrargyrum certum hydrophobiae praesidium statuitur, eius praestantia in dubium revocata est, ac praemia variis in locis decreta iis, qui tutius, certiusque remedium invenissent? Quia, licet plures insurrexerint, ut prolatis observationibus DESAULTII, SAUVAGESII, aliorumque de Hydrargyro sententiam tuerentur, non defuerunt qui factis periculis cognoverint non raro istud praesidium, sive exterius tantum, sive una interius adhibeatur, atque ita usurpetur, ut vel nullam, vel copiosam moveat salivam, spem Medicorum, rectissime etiam, ac liberaliter datum, eludere.

1227. Et re quidem vera quam saepe apud nos tentatum hydrophobiae praecavendae impar non extitit? Ne alibi observata, quae ad rem faciunt, in medium proferam, satis est quod accidit viginti, et amplius aegris olim a rabidis lupis in Comitatu Laudensi sauciatis, quibus in Patrio Nosocomio receptis non minus ab ARRIGONIO, quam a Cl. MONTIO, quem Amicum Virum doctrina, atque Artis usu spectatissimum honoris caussa nomino, Mercurialibus potissimum remediis tum extrinsecus, cum intrinsecus adhibitis medicina malum avertens facta est. Quamquam enim hac methodo, cum aliis etiam magis probatis adversus rabiem medicamentis coniuncta, plerosque ideo tradiderit praeservatos ARRIGONIUS, quia eos, quo tempore tertium suum de Rabie libellum ediderat, morbus

nondum invaserat, ex tot tamen rabido viru infectis vix unus evasit. Caeteros siquidem sex post menses, vel annum, vel ultra rabidos occubuisse, imo eorum unum sex post annos in eodem Valetudinario, evoluta hydrophobia, vitam cum morte commutasse, quam plurimi adhuc Laude Pompeja supersunt, qui luculentissimum possint omnibus testimonium tribuere. Quod quidem vel ipse possum de tribus aliis aegris a rabidis canibus sauciatis ingenue praestare, quibus octodecim abhinc annis eodem loco idem ARRIGONIUS, me suadente, praesidio esse voluit liberalius, ac celerius, quam alias consueverat, illinito Mercurio, tum Tunquinensi pulvere primum, deinde aliis, atque aliis antispasticis remediis exhibitis. Hos quippe rabies quoque perdidit, quemadmodum quosdam pariter Mercurium, aliaque una medicamenta expertos, etsi aliqui forte evaserint, perdidisse eodem loco Cl. VILLA ingenio, atque experientia probatissimus, qui iisdem plane rationalem curationem fecerat, mihi nuper retulit.

1228. Ex istis proinde, quae apud nos acciderunt, atque ex iis etiam, quae pari eventu alibi interdum eessere, ratio perspicue enitet, ob quam Hydrargyrum non tanti hodie ad avertendam hydrophobiam fieri soleat, quanti alias habebatur. Maxime vero quia verisimile admodum est, non paucos eorum, qui tamquam servati in Medicorum libris memorantur, rabie deinceps fuisse confectos,

cum eadem diu lateat, sicuti ex adductis non solum observationibus, sed ex aliis pene innumeris oportet constituere, quidquid VOGELIUS, aliique in contrarium protulerint, ut fausto omine miseram eorum sortem, quibus ob rabidum virus infusum dirissimae calamitatis periculum imminet, lenirent, atque eorum animos, quos erigere, atque ab omni perturbatione eximere expedit, melius recrearent.

1229. Qui profecto fabulis similia putant; quae de hydrophobia post duos. quatuor, sex, et ultra annos ab inflicto vulnere, cuius aegri meminerint, inexpectato erumpente in Veterum, ac Recentiorum libris passim narrantur, quonam iure putabunt cum eiusdem quidem post longius etiam tempus evolutae testimonia apud GALENUM. AETIUM, AEGINETAM, HILDANUM, SCHMIDIUM, WIELENIUM, STALPIUM, DONNATUM, SCHENKIUM, SAUVAGESIUM, COCCHIUM, BOERHAAVIUM, aliosque plures occurrant? Nonne etiam candore insignis BURSERIUS, dum ex BECCARIO praeceptore suo referebat in quodam Viro octodecim post annis a morsu rabidi animantis hydrophobiam Bononiae evolutam tandem fuisse, addere solebat se item in uno pariter Viro post tertium annum, in altero post sextum eandem diram aegritudinem ad perniciem, quam brevi intulit, se efferentem observasse? Nonne hoc ipsum apertissime liquet ex MORGAGNI auctoritate cui nefas esset reluctari? Dum enim de rabie in aureo eius opere de Sedibus, et Caussis

morborum disserit. „Constat, inquit, hoc „certae corporis parti virus inditum saepe „diu, nonnunquam ipsos fortasse viginti an„nos, ne dicam quadraginta, latere sine ulla „noxa, donec ab aliqua, quaecumque ea „sit, caussa excitetur, erumpensque ex illa „ipsa fortasse parte in alias, atque alias ad „perniciem feratur.

1230 At cur, inquiet forte aliquis, haec omnia? Ut hisce perspectis, atque etiam non neglecta observatione, qua monemur rabido ictu non semper virus infundi, nec effusum in eo semper retineri. imo interdum cum erumpentibus e saucio loco humoribus foras confestim propelli, nemo, quos incolumes postea videt, remediorum virtute praeservatos perpetuo iudicet, ac rursus quisque possit inde caussam eruere, ob quam tot nobis, tamque vana, parumve efficacia veluti experientia comperta hydrophobiae praesentanea remedia, bona fide indicata hactenus fuerint. Ignoscendum proinde erit Antiquioribus si, praeter absurda illa, quae de pelle Hyaenae, de pilis rabiosi canis, de iecure, et reliquis partibus rabidi cuiusque animantis, deque similibus vulneri impositis nonnulli confixerunt aquae metui avertendo idonea, alia perperam ut antidota nonnulli proposuerint. nempe Origani decoctum Democritus, cinerem Cancrorum Aeschirion, Galenus, atque Oribasius, hanc cum Thure, ac Gentiana coniunctam Dioscorides, cum Theriaca vero Aetius,

Rufus, et Possidonius, radicem Cynorrhodonis, aut Rosae caninae Plinius, ac denique compositum pharmacum ex Nardo Syriaco, Myrrha, Costo, Cinnamomo, atque Opio Apuleius Celsus, Scribonius Largus, aliisque, quos indicare non vacat.

1231. Ignoscendum quoque erit sequentibus Medicis, si parum tuta, ac vana magni fecerint, ac speciatim, ne omnes attingam, Sennerto, si Alyssum Dioscoridis multi habuerit, Salio Diverso, si radicem Hellebori plurimum laudaverit, Boutellio, si plus, quam oportebat, radici Valerianae sylvestris tribuerit, Catanio, si Krameri remedium, Veteribus cognitum, nempe pulverem Piperis longi cum Cantharidibus in aceto decoctum, et calide épotum divinam medicinam vocaverit, ac Theresio, si caeteris auxiliis praetulerit Amygdalas amaras, et nucem Vomicam, utpote quae certum hydrophobiae praesidium afferrent, dum in Wepferi periculis epilepsia, ac singulari convulsiva, et spastica aegritudine inducta canes enecarunt. Ignoscendum demum est reliquis, qui Pulverem Palmarii, aut contra rabiem ex foliis Rutae. Verbenae, Plantaginis, Polypodii, Absynthii, Menthae, et Melissae, ac similibus confectum (*a*) certum habuerunt, sive futurae, sive evolutae hydrophobiae an-

(*a*) Pharmacop. de Paris.

tidotum, etsi parum efficax hodie habeatur; qui Pulverem del mans summopere probarunt, dum Laudenses Medici hydrophobiae praecavendae imparem experti sunt; quique demum cum WERLOFFIO summis extollunt laudibus Pilulas antilyssas ex Cantharidibus, Mercurio dulci, Thurpeto Minerali, ac Camphora cum mucilagine confectas, dum experimenta in pluribus a rabiosis lupis demorsis Laude Pompeia instituta evidenter monstrarunt expectationi non respondere.

1232. Verum, ut ad Hydrargyri usum redeam ex iis, quae iam adduxi, nemo quaeso concludat, ideo eadem me adduxisse, ut fiduciam, quam in eo ad praecavendam hydrophobiam plerique habent, vanam prorsus esse monstrarem. Uno siquidem fine proferebam, ut intra aequiores limites eiusdem praesidii efficacitate coercita, dum eodem uterentur Medici, iam moniti interdum fallere, non negligerent ea simul experiri remedia, quae nisi perpetuo, ac plene, saepe tamen, ac non mediocriter auxilio esse consueverunt; non eas omnes observationes unquam omitterent, quas sauciatus inprimis a rabido animante locus sibi vindicat; ad nova detegenda, quae certius aquae metum avertant, ac discutiant, sedulo incumberent; ac denique, si quando alterutrum praestandum sit, non uni fideant medicamento, sed alia, atque alia pro re nata usurpent, seu verbo rationalem curationem, seu, ut Nuperiores loquuntur, methodicam

exequantur. Huius enim utilitatem, necessitatemque, non solum ex dissimilitudine corporum, quibus Medicina facenda est, ac phaenomenorum, quae explicata aegritudo exhibet, Proceres Artis coniecerunt, verum etiam tutius deduxere ex varietate remediorum, quae interdum proficua visa sunt, ex evidenti indicatione per omnia corporis loca aptis auxiliis moliendi suscepti, aut haerentis veneni exitum, atque ex observatione, qua evictum est, ea generatim ex voto cessisse, quae exinanitionem plus, minusve manifestam attulerunt.

1233. Quare non aliam, quam quae rationalis sit, atque ex omni pene remediorum genere aptum auxilium pro re nata conveniens eligat, ego soleo curationem suadere, praesertim cum experientia, atque auctoritate summi Praeceptoris BURSERII, qui non aliam viam inire solebat, ut hydrophiam arceret, eam cognoverim opportuniorem, ac deinde LASSONII etiam observationibus apprime confirmatam (*a*). Uterque porro cognovit in eiusmodi curatione generatim locum sibi vindicare, praeter Hydrargyrum, a quo sive proximis vulneri locis, sive aliis partibus, sive utrisque, saepe, et mature illinito praecipuum auxilium iure expectatur, sanguinis missiones,

(*a*) Méthode eprouvée pour le traitement de la rage publiée par ordre du gouvernement. Paris 1776.

nec quidem ad animi deliquium ex quorundam consilio institutas; calida balnea pedum, et manuum, aut totius corporis; lotiones, quibus mel, et acetum admixtum sit, in alvum subinde infusas; quae vomitum cient, una, alterave vice exhibita, saepius vero, quavis nempe tertia, aut quarta die, lenia alvum ducentia; subinde quae sudorem moderate proliciunt, interdum quae sedant, aut spasmos avertunt; potiones conditas aceto, quod hydrophiae contrarium iamdiu censetur, intra diem haustas; atque alia demum intra mensis spatium (ad quod saltem curationem oportet extendere cum mediocri diaeta ex vegetabilibus praesertim petita) prudenter interposita praesidia, quae praeservationis caussa adhibita, sive virus susceptum expellant, sive resolvant, atque innocuum reddant, reliquis minus ambigua, aut praestantiora censentur.

1234. Cum enim curatio in longum trahenda sit, ac varia subinde tentandi, omni confusione vitata, opportunitas suppetat, cur ista quoque adhibenda non erunt, ut certius futurum teterrimum malum praecaveatur, quae caeterum potioris interea usurpati praesidii naturae, atque actioni non repugnant? Cur non erunt cum LASSONIO, A q u a e l u c i a e aut S p i r i t u s s a l i s a m m o n i a c i s u c c i n a t i duodecim, aut quindecim guttae, vel ultra, vino, aut aqua dilutae quotidie semel, aut iterum ad aliquot dies usurpandae, cum hic liquor volatilis suam novissime in

arcenda hydrophobia virtutem quibusdam comprobaverit? Cur cum eodem Auctore, aliisque plurimis non licebit adhibere diebus aliquot bolum ex Moscho, Camphora, et subinde ex Sedantibus, Temperantibusque confectum, vel cum aliis addere istis Opium, Asam foetidam, Succinum, aliaque antispastica alibi proposita, si curationes, in quibus haec fuere pharmaca mature usurpata, prospere cesserunt, ut LASSONIUS, aliique perhibent? Cur non erit Mercurio interponendus usus, sicuti BURSERIUS inter caeteros consueverat, singularis illius P u l v e r i s t u n c h i n e n s i s seu A n t i l y s s i, quem adversus rabiem a Sinensibus magni factum, non minoris quoque insignes Europae Medici habuerunt? Hi sane quam multos praeservasse testantur eiusmodi pulvere, sive ex sexdecim granis Moschi, sex Camphorae, et scriptulo radicis Valerianae sylvestris componatur, ut hodie fieri a quibusdam solet, qui a decem granis ad quindecim propinant, sive exurgat ex viginti granis Cinnabaris, tum nativae, cum factitiae, atque adducta Moschi quantitate Sinensium more, qui Spiritu Oryzae solutum, vel melle exceptum statim a morsu exhibent, ac, ubi non egerit, iterato praescribunt. Eius quippe virtute non multo post, ac fuerit assumptus ingentem sequi sudorem, quo susceptum venenum prorsus eliminetur, ac somnum supervenire, quo spasmi praecaveantur, non solum fidenter tradunt plerique Medicorum, verum etiam CAMUS, WRENCHIUS, IAMES, NU-

GENTIUS, aliique asserunt eodem praesidio centenos a rabie praeservatos fuisse.

1235. Prudentis quoque Artificis erit aliis etiam diri morbi praeservationem certiorem reddere, quorum usum efficacem, nisi perpetuo, saltem non raro, evasisse experientia innotuit. Puto siquidem Tincturae, alias Essentiae Cantharidum guttas aliquot aqua dilutas, vel demulcentibus admixtas cautissime datas, aucta pedetentim dosi, ideo interdum convenire, ubi nec nimium moveant urinas, nec nimium exstimulent, quia Nuperiores confirmarunt *Meloen vesicatorium* interius aliquot diebus prudenter exhibitum ad praecavendam hydrophobiam multi usus remedium largiri, quemadmodum AVICENNA, RHASES, IOANNES DAMASCENUS, BACCIUS, aliique iampridem tradiderant. Aequiori praeterea iure existimo tentandum esse in omni fere casu usum *Meloes* sive *proscarabaei*, sive *maialis*, quorum pretium ad aquae pavorem ex rabidorum animalium morsu post Veteres a SENNERTO, ARTMANNO, GEOFFROYO, WIERO, ROESLERO, aliisque est constitutum, maximeque periclitandum, quod ex eiusmodi praesertim insecto, scobe Plumbi, Serpentaria virginiana, Theriaca, et melle compositum non multis abhinc annis in Borussia revelatum, antea arcanum, pharmacum hydrophobiae antidotum primo iudicatum est. Quamquam enim remedium istud, (cuius descriptionem, atque

usurpandi modum Ill. Andryus (a) absolutissime tradit) sive praeservationis, sive curationis caussa adhibitum, certum largiri antidotum post experimenta, quae variis locis incassum suscepta sunt, dici nequeat, est tamen auxilium, quod interdum proficuum evasit.

1246. Quare ob eandem caussam vellem item a Medicis non prorsus negligi *Anagallidis arvensis*, seu Anagallidis herbam, cuius pulverem a drachma dimidia ad unam bis die exhibitum, ac recte iteratum, etsi adversus evolutam hydrophobiam dubiae virtutis cum Ill. Tissoto habendus esse videatur, ei praecavendae parem non raro fuisse post ea, quae Kaempfius, Ravensteinius, ac Bruchius referunt, nemo iure poterit denegare Vellem ex foliis Rutae, atque ex Allio cum theriaca, et Stanni scobe in zytho decoctis compositum remedium nuper valde probatum (b) experiri. Vellem etiam non prorsus contemni folia *Atropae Belladonnae* seu Solani furiosi, aut Belladonnae, quae a tribus granis ad sex in die propinata, non solum hydrophobiam prohibuisse dicuntur, ac praesertim radicem ad grana duodecim adulto, ad sex tenero puero, atque ad tria infanti non semel exhibitam, verum etiam ex eius radice infusa praeparatum Acetum belladon-

(a) Hist. de la Soc. Roy. de Med. 1776. pag. 151. (b) Op. cit. pag. 159.

nae parem vim monstrasse quidam tradunt. Quin imo cum de Aceto sermo incidit, vellem saltem admiscendum subinde quotidianae potioni Acetum aromaticum, cum in rabie canina valde proficuum Ill. CRANTZIUS, aliique habuerint. Vellem denique, ne Thurpetum minerale, Mercurius dulcis, aliaque Mercurialia remedia, quae ore sumuntur, perpetuo omittantur, praesertim quando linitus Mercuriales tandiu protrahere, aut iterare non licet, quandiu expediret.

1237. Interea opem, quam Hydrargyrum sauciatis rabido animante praestat, aliorum interpositione remediorum certiorem efficere vanum esset tentare, ubi id, quod corporis particula a rabido animante corrupta, ac laesa necessario postulat, inconsiderate omitteretur, aut negligenter, vel cunctanter praestitum fuisset. A vulnere enim recte, ac protinus nutrito cum magna ex parte a futuro malo praeservatio pendeat, ab eo sane omnis curatio Veterum, ac Nuperiorum sententia iure auspicatur. A rabido enim animante infusum virus, sive in vulnere haereat, sive in proximo loco delitescat, quo diutissime innoxium latere a plerisque censetur, sive ulterius iam sit deductum, maturo, atque apto usu remediorum, quae vulneri proxime admoveantur, ita vel avocari, ut foras prodeat, vel resolvi, ut nocendi potestatem amittat, vel singularem affectionem, quaecumque ea sit, a veneno illatam tolli, ut morbi evolutionem avertat, sicque uno, vel altero modo

omnis futurae hydrophobiae metus removeatur, ideo tutius Clinici concludunt, quod suum possint iudicium certis observationibus tueri. Constat enim generalem curationem inutilem fuisse, singulari, quae vulnus exigebat, neglecta, tum interdum hanc sine illa potuisse hydrophobiam arcere, tum eandem plurimum posse ad eiusmodi morbi iam se evolventis progressus protinus cohibendos. Narrabat proinde olim summus Praeceptor eius Fratrem Cl. PETRUM BURSERIUM Mulierem iam pridem a rabida catella in brachio sauciatam ab aquae metu, qui inexpectato apparuerat, non alia ratione liberasse, quam ante usum eorum, quae spasmos removent, et sudorem eliciunt, locum, in quo vulneris iam dudum coaliti levissima vestigia supererant, protinus scarificando, incisiones dilatando, atque ad uberem suppurationem adducendo impositis iis, quae cito, ac vehementer exederent, ac demum in proximo vulneri loco fonticulo excitato.

1238. Cum itaque rationalis curatio, quae aquae pavorem vel avertat, vel discutiat a vulnere inchoanda, nec unquam omittenda sit, quae in hac re Therapeutae generatim monent, si obiter quoque indicavero, non mihi plus assumam, quam quod instituti ratio, rerumque series, atque iunctura omnino postulant. Monebo igitur protinus oportere partem, quam rabidum animal venenata saliva infecerit, aut vulnere laeserit (quam SAUVAGESIUS, HYLLARIUS, aliique, ubi fieri posset

abscindendam, vel alii forti vinculo superinducto, ne cum proximis communicaret, intercipiendam esse voluerunt), aqua nec frigida, quae noxia habetur, nec pura, quae inutilis iudicatur, at calida, et marina, quae magni fit, vel huius loco muria valde condita eluere, ac probe abstergere. Sunt etiam qui imprudenti vulneris suctui ore peracto cum DUHAMELIO attractionem ope syringiae idonea machinula imposita substituendam esse docent, dum alii cum CELSO eam veneni, humorumque eductionem applicita cucurbitula moliuntur, vel saltem curant, locum quam proximum vulneri sic comprimere, ut cum sanguine ex eo magna copia erumpente malignum quoque virus eliminetur.

1239. In hunc finem maxime iuvat vulnus sacrificare, incisionibusque amplius efficere, atque apto ferramento inurere, curando ut inustio lata sit, profundeque penetret, nisi aliud faciendum esse partis laesae conditio iubeat, aut tantum auxilii genus experiri pavida nimis aegri natura absolute prohibeat. Quando enim eodem uti actuali cauterio non liceat, praesidio nimirum, quod a CELSO, et DIOSCORIDE magni factum, probatumque HILDANO, DEKERO, MORGAGNIO, LASSONIO, MARHERO, aliisque quamplurimis vere eximium est, vel potentiali utendum erit, vel saltem vulnus nutriendum iis, quae, dum irritant, avocant, atque exedunt, suppurationem abunde invitant. Quae quidem emolliendi, digerendi, atque exedendi potestate

donata mature etiam imponenda sunt, quando inustio praemissa sit, ut, crusta superstite quam primum decidente, supposisum ulcus humores promptius, atque uberius effundat. Quovis autem in casu summa cura nitendum est, ut ulcus quam diutissime apertum servetur, quoniam id ad hydrophobiam arcendam plurimum valere post GALENI, atque IOANNIS FORTIS observationes est ab omnibus pene Medicis experientia evictum. Nemini enim, cui pus ex ulcere manaret, hydrophobiam supervenisse observavi, at eodem arescente, aut cicatrice incluso. Quare ea in usum quotidie vocare praestabit, quae impediant, ne ulcus ad cicatricem veniat, subinde Corticem peruvianum interius praebere, quando ex defectu virium ulcus pallescit, incipit exsiccari, atque ad gangraenam tendit ac nimis cito inductam cicatricem refricare, ut, quo usque expedit, pus effundatur. Porro ultra quadraginta dies eiusmodi tempus plerique extendunt, dum BOERHAAVIUS ad sextum mensem, imo SENNERTUS ad annum usque deducit.

1240. Potior haec, ac communior vulneris curatio esse solet, quin tamen ea prorsus respuat, quae saucio loco imposita a quibusdam proficua censentur. Siquidem nil prohibet, quominus quis experiatur vel Aquam Lucii, vel Alcali volatile cum Cl. SAGEO, aliisque, vel Oleum olivarum cum VATERO vel hoc ipsum Oleum cum Ill. TISSOTO. vel cataplasma ex *Allio cepa*, aut ex *Allio sativo*,

vo, sive per se, sive cum theriaca, vel ex Ruta, Salvia, Allio, Sale, aliisque cum quibusdam Auctoribus, vel denique folia Cicutae cum aliis plerisque, qui singuli externis istis auxiliis vim non exiguam concedunt. Neque ubi praecipua non negligantur, quae ad generalem, et singularem curationem pertinent, videtur vulnere laesis detrectandum externum praesertim usum earum rerum, quibus vulgo medicatissimis habitis ipsi valde fidunt, maxime quando, nisi prosint, nocere non possint. Quamquam vix unquam carent utilitate ob fiduciam futurae sanitatis, atque animorum securitatem, et quietem, quam opportune afferunt.

1241. Nunquam tamen dum Artifex hactenus proposita usurpat auxilia, obliviscatur, quod eius maxime muneris est, nimirum omnium praecipuum, ac, licet interdum fallat, non omittendum hydrophobiae praesidium Hydrargyrum nobis largiri. Potius videtur negligendum quando aquae metus, vel ex spontanea, vel ex communicata caussa se evolvit, maximeque ubi iam invaluit. Quamquam enim Medicorum testimonia non desint, qui rabie iam explicata, ac praesertim incipiente bono eventu usurparunt, quique sive protinus illinitum, sive ore sumptum Hydrargyrum in tam ancipiti rerum statu non parvi adhuc faciant, plerique tamen supervacaneum, alienum, ac nocuum putant. Sive enim quod in hydrophobia existiment cum Democrito, Gajo, Herophili sectatore, aliisque Vete.

ribus, Recentioribusque cerebrum, et nervos prae reliquis pati, sive medendi rationem reputent, quae caeteris melius respondere hactenus vita est, a Mercurio generatim abstinendum esse, rabiei symptomatis plene evolutis, praecipiunt. Et profecto, Ill. ANDRYO observante (*a*), Cl. BANDOTIUS censet non sufficere quae suppetunt curationis exempla, ut Hydrargyrum in rabie explicata multi probari possit, ac Cl. MOREAVUS observavit linitus Mercuriales aegritudinem adeo exasperare, ut aegri intra duodecim horas generatim occumbant.

1241. Tutius ne igitur Hydrargyro hydrophobia oppressis auxiliabitur curationis genus, quod CELSUS proponit? Inquit porro: » sed unicum tamen remedium est nec opi» nantem in piscinam non ante ei provisam » proiicere, et si natandi scientiam non habet » modo mersum bibere pati, modo attollere; » si habet, interdum deprimere, ut invitus » quoque aqua satietur; sic enim simul et » sitis, et aquae metus tollitur. Profecto morbi naturam hocce auxilium respuere experientia docuit. Haec enim iam dudum declaravit aegros, qui vel in mare, vel in piscinam hac ratione proiecti fuerunt, plerumque inter dirissimas convulsiones repente occubuisse, sicuti COELIUS AURELIANUS nove-

(*a*) Hist. cit. Mémoir. pag. 131. et pag. 144.

rat, atque ipse novit Celsus (*a*) dum subdit „ sed aliud periculum excipit, ne infirmum „ corpus in aqua vexatum nervorum distentio „ absumat. Id ne incidat a piscina in oleum „ calidum demittendus est: quod nihilominus supervacaneum existit, quoniam in ipsa adhuc piscina aeger plerumque vitam amittit; aut saltem a morbo non evadit.

1242. Recte igitur mihi agere Medici videntur, qui aegros hauriendae aquae difficultate, et formidine detentis a dirissimo morbo liberare student rationali medendi methodo, quae pro vario rerum discrimine varia auxilia usurpanda esse suadet. Horum autem praecipua habentur, quae inflammationem avertunt, spasmos sedant, et removent, quietem et somnum conciliant, ac nervis opitulantur. Animadversum quippe est interdum non alienum fuisse sanguinem mittere, atque iterato etiam pro virium, aegrorumque conditione educere, etsi neque id semper conveniat, neque eo modo detractus sanguis, sicuti Cel. olim Arrigonius noster proposuerat (*b*), ut ex incisa arteria in dorso pedis, aut in tarso effluat, formidine aquae iam occupatis certum auxilium afferat. Profecto si sanguis provide missus hydrophobis opem interdum attulit, facile erit intelligere, cur homini ab animante rabido pridem demor-

M 2

(*a*) Med. lib. V. c. 27. (*b*) Diss. della Mania ec.

so, cum hydrophobiae signa se proderent, illa arteriotomia, generali quidem, nec ulla singulari actione sua prodesse potuerit, quemmodum profuisse idem Auctor testatur. Sed hoc auxilium satis esse ad ortam hydrophobiam discutiendam, praeterquamquod ex adducta observatione tuto concludere non licet, quia animadvertente MORGAGNO (*a*) una est, nec sine aliis peracta remediis, hic primum monuisse iuvabit, hominem eum, cuius tamquam sanati meminerat ARRIGONIUS, ab huius libello in lucem edito non multis post mensibus in Valetudinarium Laudense iterum illatum, eodemque usum remedio dirissima rabie confectum occubuisse. Neque hunc enim, neque alios pari modo arteriotomiam passos, quos rabies vel spontanea, (quae bis superioribus annis Laude Pompeia ab ARRIGONIO visa est, ac semel a BURSERIO in Viro, qui ex ira digitum sibi momorderat) vel acquisita invaserat, ex orta aquae formidine evadere potuisse, qui ipsam arteriotomiam semper peregit Praestantissimus patruus meus RAINERIUS COLARINIUS, publicus tunc Anatomes, et Chirurgiae Professor a COCCHIO Praeceptore suo iam pridem laudatus (*b*), ac dein plurimi factus, testari solitus erat, atque etiam in Schedis meminerat quas edendas paraverat, cum immatura morte praeventus mihi, et Laudensibus, quibus ingenio, doctrina, atque artis usu probatissimus erat, sui desiderium reliquit.

(*a*) Epist. LXI. Art. 13. (*b*) Bagni di Pisa p. 262.

1243. Itaque remediis aliis in hydrophophobia curanda magis fidendum, atque iis potissimum, quae perfectam, certamque interdum curationem attulisse experientia demonstravit. Qua de re praeter illa, quae hinc illinc in Medicorum libris tamquam utilia memorantur, quaeque symptomatum singularis natura requirit, antiphlogisticis, anodynis, paregoricis, atque aptas exinanitiones promoventibus Artifex prudenter utatur, atque Aqua lucii, Oleo animali, liquore cornu Cervi succinato, vel Anodyno, aut Aethere vitriolico aegro studeat apposite subvenire, atque inprimis Asa foetida, Succino, Opio, et Camphora, similibusque morbum oppugnet. Hisce enim tantummodo auxiliis copiose, ac crebro usurpatis, nonnullos etiam ad summum morbi gradum adductos tam feliciter, perfecteque curarunt Gobbius, Camus, et Nugentius, ut nequeat perpetuo hodiernae Medicinae exprobrari, quod olim vitio ei verterat Poeta, dum inquit „Nec „formidatis auxiliatur aquis.„

CAPUT III.

De Expectorantibus.

1244. Solent Medici ea auxilia, quae humoribus in larynge, aspera arteria, bronchiis, atque ultimis eorum divisionibus effusis, aggestis, haerentibusque copia, vel indole, vel utraque ratione alienis, et nocuis excutiendis, ac sub forma sputi foras eiiciendis paria censent, Expectorantia vocare. Atque ea quidem vel antiquitus non parvi facere consueverunt cum ab ipso iam ortu Medicinae cognoverint hac saepe via Naturam, non solum contra sanitatis ordinem lympham, mucum, sanguinem, pus, aut quemque alienum humorum respirationis organa obsidentem suis motibus excutere, verum etiam crebro, copiosoque sputu, aut exscreatione avocatam ad pectus morbidam, superfluam, coctamque materiem, aegritudine plurimum levata, aut discussa, facile, opportune, utilissimeque extrudere. Utinam proinde quemadmodum tum Antiqui, tum Recentiores Proceres Artis didicerant eiusmodi curationis methodum val de proficuam, atque interdum necessariam esse, ita consequuti fuissent ad eam tentandam, perficiendamque efficaciora, aptioraque instrumenta iis, quibus Ars omnem suam fiduciam credere hactenus coacta est. Tum

profecto in ea non versaretur ambiguitate, quam ubi sputum e pectore detrahere nititur, adhuc experitur, nec cogeretur ancipiti saepe auxilio rem committere, ac tam frequenter spe deiecta exoptare tutiora, quae ad eos singulares motus certo, facile, prompteque naturam adducerent, quibus eadem ultro, modo nulla apparente commotione, modo tussi excussa, modo nausea, aut quodam vomendi nisu humores extra pectus eiicere solet.

1245. Profecto licet natura quodam ad exscreandum motu, ac tussi excitata efficaciter sputum moliatur, Ars tamen neque plane opportuna, neque satis tuta habet auxilia, quae certo, tempestive, atque impune tussim moveant. Nonnulla quidem visa sunt specie halitus ore recepta tussim concitasse, ut suffimenta ex Sulphure, Aromatibus, aliisque volatilibus medicamentis, aut inspiratae quorundam acrium remediorum tenuissimae particulae, tum alia pariter ad sanguinem deducta suis viribus, quas adhuc retinuerunt, affecisse pulmones, ut de Sulphurico speciatim acido vel ipse CULLENIUS testatur; sed ista ambigua, non semper innocua, ac naturae morborum, quibus pulmo, innexaeque partes detinentur non idonea generatim praesidia existunt. Quo vero artificio interdum utitur natura, nempe vomitu ad tussim concitandam, atque ad sputum eiiciendum, raro licet Artifici ad utrumque assequendum uti, cum hoc ipsum motum arte concitare nec semper vacuum periculo, nec semper proficuum,

atque opportunum esse soleat. Neque ex eo quod pulmones fabricatione ad cutim plurimum accedant, existimandum est in eos proxime actura esse remedia, quae cutis exspirationem intendunt, unde quae diaphoretica sint, Expectorantia quoque generatim fiant. Nam praeterquamquod, nonnisi certis sub conditionibus, quae sudorem invitant ad sputum movendum valent, et nulla hactenus suppetunt, quae certo, et proprio modo cutis exspirationem promoveant, et quae eam plerumque adducunt, sputo movendo ideo saepe imparia evadunt, caute etiam adhibita, quia actione sua vel stimulum, vel materiam in bronchiis aggestam, vel ad ea affluentem ad cutim plerumque revellunt, atque avocant.

1246. Cum itaque Ars tutis, commodissimisque medicamentis hactenus destituatur, quorum certissima singulari actione queat polliceri, fore, ut mucus in pulmonibus copiosior secernatur, ac facillime prodeat, non erit quidem Artifex vitio insimulandus si, quae ad id praecipit, nec statim, nec facile, nec semper expectationi respondeant, ac si inter plurimas, ac diversissimas res, quae saepius solent respondere, non eas interdum desumat, quae vota expleant. Maxime vero irritus periclitctionis eventus vitio ei vix unquam vertendus erit, quia interdum obscure admodum coniectura assequi licet quodnam proprium mutationis genus, quoque speciatim tentatum remedio expediat, ut in respirationis organis humor uberius secernatur, ac fa-

cile, et prompte sputi forma extra eadem eiici queat. Varia siquidem humoris in aspera arteria. ac pulmonibus effusi, atque aggesti, qui educendus sit, natura, diversus laryngis, innonarumque partium status, multiplices morborum differentiae, temperamentorum discrimina, consuetudo, aliaeque singulares aegrorum proprietates insignes exceptiones afferunt. Ut sputum siquidem moveatur modo spissa tenuare oportet, modo densa resolvere, modo viscosa fluxilia reddere, aut impacta discutere, modo acria involvere, aut contemperare, modo tenacia cogere, modo vias obstructas reserare, atque oblinire, modo rigidas, constrictasque relaxare, modo stimulo nunc leni, nunc validiori percellere, modo denique aliis rationibus fluidarum, solidarumque partium conditionem mutare.

1247. Ratio inde quam facile deducitur, ob quod tam multae res, tamque inter se dissimiles sive sputo, sive exscreationi movendae pares habeantur, ac quae maxime, aut plerumque prosunt, ideo praesertim proficua sint, quia non unam agendi rationem exerunt. Pleraque enim expectorantia tum universum corpus, tum speciatim respirationis organa pluribus modis afficere adeo sibi persuasum habent Therapeutae, ut neque uni tantum mutationi, sive generatim corpori, sive privatim pulmoni praestitae, referant commodum, quod nonnulla, quae simplicissime agere videntur, aegris afferunt. Non uni proinde mutationi tribuunt; cur quae

nauseam, aut vomitum cient medicamenta; cur quae cutis exspirationem, sudoremque invitant; cur varia exercitationum genera iuxta Gymnastices leges suscepta, opportuneque protracta, atque iterata, ipsaque potissimum aequitatio (§. 446.); cur quae rubefaciunt, ac vesicam inducunt pectori, et dorso praesertim imposita; cur calida pedum balnea; cur denique quae aliorsum derivant, ac revellunt sputum, exscreationemve, certis positis conditionibus, prompte, atque efficaciter moveant.

1248. Spectata tamen generali, aut manifesta, ut dicunt, agendi ratione ad certa quaedam genera Therapeutae universa Expectorantia revocant, quorum duo nonnulli, alii tria constituunt. Illi siquidem arbitrantur, satis esse eiusmodi medicamenta distinguere in ea, quae stimulo, aut alio quovis impedimento remoto agunt, atque in ea, quae stimulo suo operantur; isti vero contendunt rectius eadem secerni Expectorantia in Demulcentia, quae obliniendo, involvendo, ac temperando prosint, in Stimulantia, quae irritatione, incitamento, ac tussi excussa utilia fiant, atque in Incidentia, quae spissos, ac viscosos humores tenuando, ac resolvendo ita ad exitum e bronchiis disponunt, ut dein extra haec eiiciantur. Quae quidem postrema divisio cum plerisque probetur mihi ordinem praestabit, quem in singulis recensendis Expectorantibus sequar, etsi haec non undequaque ratio probanda videri possit cui-

que reputanti non ita distingui posse, suis que generibus tribui species quasque horum remediorum, quin eorum aliqua de utroque participet. Sunt enim non pauca, quae stimulant, atque una attenuant, ac resolvunt nunc eodem, nunc duplici actionis principio, suntque contra inter Incidentia relata, quae simul incidunt, stimulant, ac vitia humorum demulcent, atque emendant. Quod quidem monuisse iuvabit, ne sub quovis genere remedia una tantum actione utilia inconsiderate retulisse videar, neve dum eiusmodi, minus caeteris imperfectam, minusve incommodam Expectorantium divisionem sequor, quibusdam quoque videar ideo eam sequutus, quod absolutam, commodissimamque habuerim.

1249. Ad primum genus Expectorantium quamplurima possunt revocari, quatenus ad ea pertinent omnia illa, quae sive fauces, glottidem, ac laryngem, opportune humectent, sive constrictas et rigidas hasce partes emolliant, et laxent, sive irritatas obliniant, acribus etiam particulis involutis, ac stimulis retusis, sive muci faucium, et glottidis defectui suppleant, sive eas contemperent, sive spasmum solvant, sive crassis, spissis, acribusque humoribus demulcendo exitum parent, sicca, crebra, ac pertinaci tussi plerumque simul cohibita, efficaciter promovent secretionem, eductionemque humorum, quibus spiritalia organa obsidentur. Quae quidem cum pene innumera sint, ipsa quoque non possunt non magnam copiam auxiliorum sup-

peditare, quibus veluti Expectorantibus Ars utatur, quando huius generis revera conveniunt, sicuti creberrime evenit. In acutis enim aegritudinibus, atque in chronicis cum febre, aestu, irritatione, atque ardore coniunctis, in inflammatoriis, et rheumaticis pectoris affectibus, in tussi aspera et sicca, hemophthisi, et phthisi, atque in morbis, pulmones, bronchia, laryngem, ac fauces acri humore, aut stimulo, et spasmo obsidentibus, in quibus singulis casibus, ubi sputum movendum sit, quae stimulant, ac vehementer resolvunt aliena sunt, lenia eiusmodi Expectorantia privatim conferunt, atque eximie auxiliantur.

1250. Quod quidem auxilium, et promptius, et validius afferunt non promiscue sumpta ex singulis mox indicatis remediorum generibus, at illa speciatim petita medicamenta, quae ad movendum sputum efficaciora, atque usui magis accommodata Medicis censentur. Quare etiam si illa remediorum genera fuse expendens eorum quoque species, fortasse omnes, aut saltem praecipuas, attigerim, quae expectorans nobis possunt medicamentum in paullo ante allatis casibus largiri; erunt nihilominus hic loci necessario illae penitius enucleandae, quae reliquis virtute, atque usu antecellunt. Occurrunt enim nonnulla sub quovis genere, quae efficacius, aut facilius aliis movere sputum experientia evicit, quamquam eiusmodi praestantiae caussa non melius pateat ipsa ratione, qua

in universum ad hoc, quod expendo, Expectorantium genus revocata remedia sputum, exscreationemve promoveant. Modus siquidem, quo haec, quae proprie, absoluteque Expectorantia dici non posse Therapeutae animadvertunt, bronchia, ac pulmones expurgent, obscurissimus ideo habetur, quod eadem remedia cum spiritu ad eas partes nequeant proxime deduci, easdemque proximo contactu suo afficere.

1251. Interea si salutaris horum medicaminum actionis veram caussam, certamve rationem constituere Medici hactenus non possint, verisimilem tamen, ac rationi apprime consentaneam saepe reddere possunt. Et re quidem vera nonne tuto explico, cur quaedam emollientia liquida forma usurpata expectorantia evadant, dum observo, non solum, mollitie et laxitate opportune faucibus impertita, verum etiam humidiori reddito aere, ac proinde ad relaxandum aptiore, efficere eiusmodi auxilia, ut cum spiritu ad bronchia, atque ad ultimas eorum radices idoneum medicatissimum principium veniat, iisdemque proxime admoveatur? Nonne inde caussam recte deduco, cur, quae in ore detenta, faucibusque admota sint, caloris vi in vapores resoluta utiliora existant? Nonne rursus ex proximitate asperae arteriae cum oesophago iure repetam, cur calidae potiones pedetentim, ac saepius haustae, dum stomachi viam legunt, sub ipso itinere debeant attenuare, solvere, ac dimovere crassos, aut mucosos

humores qui tracheae parietibus adhaereant? Nonne ex tam proximo nervorum consensu tuto derivabo, cur anodyna, atque opiata sive aliquantulum ore maneant soluta, sive in stomacho consistant, spastica constrictione bronchiorum sublata, aut stimulo ibidem saeviente retuso, impetum inutilis, nimiaeve tussis ita moderentur, ut sputum facile prodeat? Nonne demum tuto coniiciam dulcia, mucilaginea, atque oleosa sputo movendo ideo tam saepe paria existere, licet ad aerea pulmonum vasa nullo modo advehantur, quia fauces, ipsumque asperae arteriae initium laxant, emolliunt, atque a phlogosi, quam contemperant, atque ab acri delapso humore, quem involvunt, liberant, unde tussis vehementia, quae secerni humores, vel secretos e pulmonum vesiculis, bronchiis, atque aspera arteria foras eiici prohibebat, apte cohibita, aut moderata, forte etiam levi nausea interdum inducta, facile, et copiosum, coctumque sputum erumpat?

1252. Aliis sane modis remedia haec Expectorantia fieri verisimile admodum est, imo verosimilius adhuc evadit cuique animadvertenti eadem, quando, tussi ob organa recipiendo, emittendoque spiritui dicata stimulo perculsa provide excitata, sputum excutere oportet, aliena prorsus esse. Notum est quippe, sicut iam dixi, ut pulmones, ac bronchia superfluos et nocuos humores foras propellant, nunc irritationem et tussim leniendam, removendamque, nunc opportune

incitandam esse. Quod quidem monuisse iuvabit, ne ex inconsiderato eorum usu, quae tussim molestam non modo sedant, quam penitus tollunt, ubi natura eodem motu ad respirationis vias expurgandas indiget, earum, ac praesertim pulmonum impedimenta maiora, ac graviora reddantur: quemadmodum, tussi nimis mature ob defectum stimuli cessante, interdum evenit non exiguo aegrorum detrimento.

1253. Verum ad singula accedens ex vario remediorum genere ducta, quae ad primum, de quo dissero, Expectorantium ordinem pertinent, quaeque efficaciora, aut usitatiora hactenus esse consueverunt, ex Emollientibus antefero caeteris calidae Aquae vapores ubi solum emollire, ac laxare expediat. Ob eas siquidem caussas, quas alio loco proposui (§. 675., et seq.) Aqua opportunam nacta caloris temperiem si subinde instar vaporis usurpetur, quod apto etiam machinamento commodius fit, vel saepius renovata instar fotus ore detineatur, aut crebris etiam haustibus sumpta sit, egregii usus ad sputum adiuvandum esse solet. Quod si aut validius relaxare oporteat, aut eiusmodi effectum protrahere, aut una demulcere, Aquam lacte remixtam (§. 672.) Medici probant, vel eius loco ipsius lactis Serum (§. 325., et 327.) praesertim ubi temperare efficacius conveniat.

1254. Quando profecto diluens, et temperans, atque inflammationem, vel phlogosim

resolvens remedium Expectorans indicetur, quemadmodum saepe indicari notissimum est, illud non Emollientia modo, sed ea aptius, atque usitatius afferunt, quae Antiphlogistica proprie habentur. Hinc illae tenues ptisanae, decocta, ac potiones, quas in febribus validioribus, inflammationibusque magnopere expedire alibi proposui (§. 324.) huc quoque pertinent, atque illa generatim omnia, quae de Refrigerantibus disserens (§. 975, et seq.) indicavi. Frigus interim in universum vitare opus est; nam tussim exasperat, et sputum facile supprimit, aliisve modis pectori nocet, nisi singularis casus eius usum vel permittat, vel iubeat. Animadversum quippe est calidas potiones interdum sputo movendo alienas esse, tum alias frigidum potum aestum temperando exscreationem promovisse, imo in hemophthysi, dum e vasis fluentem cohibebat sanguinem, iam effusi, haerentisque exitum tutissime adiuvasse.

1255. Veniunt deinde Mucilaginea, quae, etsi ad humores extra pectus eiiciendos multi usus esse soleant, neque mihi tamen, neque Gregoryo, neque aliis quibusdam ideo opportuna, et valde proficua videntur quod generatim mucum tenuem, atque acrem inspissando, ac corrigendo emendent, ut plerique putant, qui huic caussae tussim crebram, et vehementem cum sputi difficultate aut defectu coniunctam utplurimum referunt. Morbosa enim ista muci tenuitas, „et acrimonia,

di-

„dicam cum Gregoryo (*a*), quamvis in„terdum accidere videatur, neque adeo cer„tum, neque adeo frequens vitium est, ne„que tanti momenti, ac multi Medici exi„stimaverint; pleraque enim signa, atque „molestiae, quae ab ea provenire existimata „sunt, verisimilius imputari possunt, partim „defectui istius muci, qualis sub inflamma„tionem mucosae membranae accidere solet; „partim quoque acriori illi sensui, auctaeque „stimuli cuiusvis impatientiae, quae omnibus „partibus inflammatis contingunt; partim de„mum gravissimae irritationi tussis crebrae „totum pulmonem quatientis, et asperam ar„teriam, et praesertim glottidem irritantis, „earumque mucum abradentis. Horum om„nium tanta est vis, et noxa, ut aer ipse, „quamvis lenissimus, stimulo tandem sit, „neque spiritus quidem sine gravi irritatione, „atque dolore, et tussi frequentissima possit „reciprocari.

1256. Videntur itaque partim muco deficienti suppetias afferendo, partim fauces, et glottidem ab aeris iniurioso stimulo muniendo, partim irretiendo humores ipsos irritantes, qui in fauces defluunt, aut iam haerent, partim constrictas partes relaxando, aut asperas obliniendo Mucilaginea, mucosave Expectorantia suum effectum edere, atque uti-

(*a*) Op. cit. n. 1531.

lissima evadere. Quo quidem multiplici operandi modo facile assequimur quî eadem sputum queant movere, quin ingesta, atque ad sanguinem traducta circuitus ope ad pulmones integris viribus deducantur, quemadmodum erat quorundam sententia, quae satis tueri non potest. Nam etiamsi res ita posset evenire, eam tamen admittere prohiberet mira celeritas qua saepe haec remedia, mecum apposite observante Ill. GREGORYO, tussim sedant, omnemque irritationem auferunt.

1257. Quae vero sint mucilaginosa, aut mucosa, utpote virtute, atque usu satis probata, tamquam Expectorantia adhibenda vix modo dicere interest post ea, quae variis locis iam a me prolata fuerunt. Iam siquidem indicavi (§. 1008.) vel decocta, vel expressos succos e Stirpibus Asperifoliis; ac speciatim ex *Symphyto officinali*, ex *Boragine officinali*, *Pulmonaria maculata*, *Anchusa officinali*, aliisque, hodie negligi, nec quidem immerito, quia mucilaginis puritate, et copia Vegetabilibus aliis non parum concedunt. Dixi etiam suo loco (§. 980.) mucilaginem e seminibus *Plantaginis psylii* hodie contemni cum quibusdam acris, quibusdam etiam non innocua habeatur. Monui item Stirpes alias parvi, aut nihili faciendas esse, quia vel impuram, vel exiguam admodum mucilaginem vehunt. Quo quidem indicare volebam *Tussilaginem* tum *petasitidem* seu Petasitidem, tum *farfaram* seu Farfaram, *Gnaphalium dioi-*

cum seu Gnaphalium aut Hispidulam, et *Verbascum thapsum*, (speciem ut expectorantem vulgo apud nos nimis usitatam), quorum flores, folia, herbae, radices, atque inde decocta, succi, conservae, syrupi, aliaque ducta praeparata, ac composita, quae a nonnullis minus doctis, expertisque Medicis adhuc non parvi fiunt.

1258. Hisce autem indicatis, sicuti alibi concludebam reliquis commodis assequendis, quae mucilaginea, mncosave Vegetabilia afferre queunt, duo satis esse, caeteris sive herbis, sive radicibus mucilaginem habentibus, sive gummi speciebus omissis, retinere (§. 698. et 1006.), scilicet *Altheae officinalis* radicem, et *Mimosae niloticae* gummi, sive Arabicum; sic modo pari iure statuam ad beneficium omne obtinendum, quod Expectorantia huius generis nobis pollicentur, hanc radicem, hocque gummi snfficere. Utrumque quippe remedium simplices remediorum formulas ob puram, lenissimamque mucilaginem non solum suppeditat, verum etiam alias magis praeparatas, et compositas, quae egregii usus esse solent. Porro fiunt ex Althea praeter decoctum, et mucilaginem TROCHISCI, PASTA, et SYRUPUS; de quibus postremis cum iam actum sit (§. 698) addendum superest, Trochiscos seu tabulas Altheae, quae ex radicis pulvere, mucilagine, et Saccharo confecta interdum odoris caussa fragrantes aquas stillatitias, aut pulve-

rem Iridis florentinae, vel similium recipiunt, Pastae Altheae generatim substitui.

1259. Ad eadem valet, atque ad eosdem usus commodare potest Gummi arabicum (§. 1006.) quod proinde creberrime usurpatur modo variis remediis additum, modo specie pulveris, qui, sive per se, sive aliorum additamento praescribitur. Interdum siquidem istud gummi cum radice Altheae, et Saccharo albo ad aequale pondus in pulverem redactum usurpari solet in locum Pulveris, seu Specierum Diatragacanthae, quae in asperitate faucium, dysenteria, urinarum ardore, aliisque morbis in usum veniunt apud eos, qui gummi Tragacantho Arabicum nolunt substituere. Commode etiam, et quidem frequenter, medicamentis non paucis adiicitur, ut dum eorum vim contemperet, aliasve corrigat qualitates, cum mucilagine demulcentem, obtundentem, atque inspissantem suam qualitatem iisdem impertiatur. Emulsionibus vero inprimis additur, ubi potionis istud genus expediat, ut maiorem mucosi copiam vehat, quam Semina oleum cum mucilagine habentia, et emulsionibus parandis opportuna (§. 324., et 980.) queant largiri, nisi etiam cum Oleo amygdalino diu admixta, trita, ac subacta paranda emulsio videatur, ut quidam Medicamentarii Codices praescribunt.

1260. Inservit tamen potissimum Gummi arabicum tussientibus, aegre screantibus, asperitate, atque ardore faucium correptis,

raucitate ex muci defectu detentis sub ea specie usurpatum, quae Emulsionem Arabicam praestat. Quando enim semina mucilaginea, et oleosa, quae iam dixi emulsionibus inservire, quaeque alibi posui (§ 683 et seq.) olea mitissimae indolis expressione erogare, sive integra adhuc decoctum praestent, sive emulsionem cum aqua tribuant, non satis auxilium afferant, vel etiam conveniat oleo, et mucilagini Saccharum addere, ut singulorum vires ad tussim mitigandam, et sputi difficultatem removendam utiliter conspirent, Emulsio arabica opportunissimum medicamentum suppeditat. Sive porro ex Amygdalis dulcibus cum mucilagine, et saccharo eadem Emulsio iuxta quorundam methodum exurgat, sive fiat iuxta aliorum praescriptionem illis singulis addito iam expresso amygdalarum Oleo, sive parum absimili forma ex seminibus aliis componatur; tunc apprime auxilio esse solet quando indicata, non quidem affatim sumitur, ut in primarum viarum morbis, aliisque aegritudinibus obtundendi, demulcendi, atque involvendi fine exhibita, commode fit, at crebris, atque exiguis haustibus pedetentim sorbillatur. Hac enim ratione sumpta fauces, et glottidem diutius afficit, quae secus partes vix eius beneficium possent sentire: ex quo evenit, ut irritatione, aut tussis vehementia sedata, quiete conciliata, atque impedimentis sublatis facilius secerni, excretusque in bronchiis humor melius, ocyusque coctus, aut aptam ad

exitum formam, atque indolem nactus, commode, copioseque extra pectus vix cum aliquo tussis motu ad salutem prodeat.

1261. Tam utile caeterum, ac tum saepe indicatum eiusmodi auxilium, suis tamen vitiis obnoxium esse, nimis diu, copioseque usurpatum stomacho officere, huius robur enervare, aliisve modis alienum, atque incommodum evadere abs re non erit hic loci monere; ut cautio aliqua adhibeatur. Quae quidem eo maior esse debet, quo oleum, hocque copiosius, Emulsio secum habet. Tunc enim non potest non iis exceptionibus subiici, quibus expressa olea veluti Expectorantia sive per se, sive cum aliis medicatis rebus adhibita, patent, quibusque infrequenter sputo movendo inservire nunc solent. Cognoverunt siquidem qui medendo caeteris praestant, Olea usitatiora (§. 680., et seq.), neque ipso excepto Amygdalino olim tantopere apud nos usu probato, ad unum, alterumve subinde cochleare sumpta, ut sputum moverent, raro tuta, et proficua, saepius vero aliena, et nocua esse. Ob eas nimirum caussas, quas alibi singillatim proponebam (§. 691.) raro ad hoc remedii genus, saltem simplex, confugiendum esse repererunt.

1262. Neque ab eiusmodi vitiis immunia plane sunt eadem Olea mucilagini admixta, vel ovi vitello subacta, tum speciatim cum quibusdam coniuncta medicamentis, ut olim fieri passim consueverat. Notum est enim in linctubus ad tussim sedandam, atque ad

sputum movendum qui cum oleis expressis, Amygdalarum et Lini hic praesertim reciperent Mannam electam, aut pulpam Cassiae, Saponem, Sperma Ceti, Syrupos varios, sive simplices, sive compositos, oxymelitim, rob Sambuci, Mel, Saccharum, aliaque tam multos fuisse, ut Medici non pauci adhuc occurrant, qui iisdem, ac diversimode etiam compositis utantur. Quasi enim inconcinnae satis non essent illae linctus species, e quibusdam Pharmaciae codicibus nondum sublatae, quae Looch Balsamicum, de Manna, Saponaceum, Spermatis Ceti, PECTORALE, aut quodvis aliud simile exhibent, variis, pluribusque cum Oleo commixtis indole, sapore, et virtute inter se dissimilibus novas, magis adhuc contemnendas conficere student. Nam praeter caetera vitia, quibus eadem obnoxia sunt medicamenta in stomachum delapsa, parum quoque ad sputum movendum accommodata existunt, quia nimis ingrata et nauseosa ore versari, ac paullulum detineri non possunt; nausea ipsa quam afferunt, ad sputum invitandum non satis valent; aut commotionem saltem eiusmodi in iis casibus interdum suscitant, in quibus eam movere non expedit.

1263. Licet interim olea expressa, veluti Epectorantia non multi usus esse queant, non desunt nihilominus, qui ex illis quaedam excipienda esse arbitrentur, quasi omni vitio immunia nunquam ambigua, aut inutilia essent. Id speciatim non pauci apud nos exi

stimant de oleosa mucilagini admixta illa materie, in quam Amygdalae dulces detracta epidermide contusae, ac per setaceum traiectae densam, albidamque resolvuntur, quamque Butyrum Amygdalarum nominant. Huic ad gratum saporem Saccharum additur, quo evenit, ut a Syrupo amygdalino, vel emulsivo aliis locis valde usitato ideo proprie differat, quod hic aquam fragrantem, aut decoctum Hordei contineat, quo Amygdalae in densam emulsionem extractae fuerunt. Porro butyrum illud, quamquam ut palato amicum, demulcens, ac valide obtundens, neque infrequenter, neque sine effectu pertinaci tussi, ac sputi difficultate ob chronicos pectoris morbos vexatis nostrates quidam Medici magna fiducia, ac pene indiscriminatim lingendum praebeant; scio tamen a reliquis oleosis ita distinctum non esse, ut horum incommodis expers sit, imo novi diu continuatum stomachum labefactare.

1264 Nec quod alii testantur de Butyro, seu Oleo de Cacao, potest pariter ut exceptionis genus admitti. Concedo quidem ubi diversa ab ea, quam alibi posui (§. 321), ratione istud oleum e nucleis eductum sit, scilicet ex iisdem non tostis, at vix in mortario calido contusis, ac calefacto praelo expressis probe elicitum tam grati odoris, ac tam lenis saporis esse (§. 689), ut indole mitissimum, et non facile rancescens probandum saepe remedium ad internos usus revera largiatur. At nihilominus contendo a caeteris

oleis mitem aeque naturam habentibus, recentibusque non eo pacto discriminari, quo dolendum sit, nostrates interius ipsum non praescribere, nec proinde aliarum Gentium Medicos nondum imitari, qui non solum in spasticis intestinorum doloribus, fluxibus alvi ex acri materie, in nephritide ex calculo, atque in vesicae affectibus probare solent; verum etiam censent aliis lenientibus, demulcentibusque medicamentis antecellere in pectoris affectibus lentis, chronicisque, imo in ipsa phthisi, ut vel tenuis inspissatus humor, vel acer mitigatus, vel crassus, impactusque discussus facile, copioseque e bronchiis, pulmonibusque excutiatur. Quo quidem multiplici fine vel per se exhibent, vel Saccharo admixtum, vel cum aliis exceptum simplicibus remediis propinant.

1265. Quod autem quidam adhuc docent de oleosa illa materie Spermatis Ceti nomine cognita, tamquam eximia, omnique exceptione fere destituta ad sputum movendum, non est cur nitar modo refutare. Post ea siquidem, quae de unguinoso eiusmodi Oleo iam fuse tradidi (§. 677.) supervacaneum esset in eorum explodenda sententia modo immorari, nisi forte vanum non sit addere, non parum admirationis Sapientioribus Clinicis movere, quosdam inter Medicos nos offendere, qui, tum iis, quae ipse eo loco protuli, tum, quae passim Artis Proceres docent, prorsus neglectis, tanti adhuc superfluum, ac saepius alienum, rancidumque istud oleum faciant, ut

leniens, obtundens, atque expectorans medicamentum linctus praesertim forma nesciant praescribere quin ipsum praescribant. Tanta ne praeiudicata opinio, aut consuetudo potest!

1266. Bona interim aegris sorte accidit, ut omnes fere Medici nostrates ab eo medicamento, quod veluti nunquam alienum, aptissimumque ad sputum moliendum a Maioribns suis acceptum quidam inter eos non multis ante annis creberrime adhibebant, nempe a nimis generali, et frequenti usu Butyri vaccini pilularum forma propinati sibi temperarent. Si enim caute oleum istud medendi caussa interius dandum esse chronica passione detentis ex eiusdem natura, proprietatibusque alio inferebam (§. 205. et 688.) hic cautius dandum esse ex ipsa observatione deducam. Ne siquidem commodum, quod in epidemica tussis constitutione Butyrum Baglivio attulit, eiusdem asperitate demulcendo mitigata, vel quod interna ulceratione detentis Ettmullerus potuit olim afferre, perpetuum, vel non infrequens habeam commonefaciunt, quae in phthisi ulcerosa, atque in tussi non semel epidemice grassante ex Butyri pilularum instar usu a quibusdam instituto olim a me animadversa sunt. Visum siquidem est plerumque tussim crebriorem fecisse, nausea frequenter mota, aliisve modis vim stomachi fregisse, ac sputum retardasse.

1267. Sicuti vero non minus ex ratione iamdudum Medicina deduxit ad sputum movendum saepe oportere, quod stimulans, et crassum, viscidumque est una retundere, ac resolvere, quam ex observatione evicit ad utrumque assequendum quae mucilaginem cum dulci Sacchari materie vehunt, aptissima esse; ita vel antiquitus inter Expectorantia mucilaginea dulcia Vegetabilia non pauca recepit, eademque crebro usu probavit. Cum enim tum temporis Saccharum nondum aut notum esset, aut usu cognitum, ut plerique arbitrantur, vel saltem rarissime occurreret, quod omnes admittunt, nec Mel semper expedire videretur, vetustissimi sane Medici vix ullum, vel alterum potuerunt ex iis contemnere mucosa, ac dulci qualitate naturae beneficio praeditis, quibus nos non indigemus. Nequibant siquidem tum Saccharo destituti, tum nondum artem docti eiusdem ex communi Melle vario opere obtinendi tot eas, tamque gratas, et commodissimas sibi comparare Trochisci, Pastilli, Linctus, Syrupi, Mixturae, et Potionis species, ac innumeras pene varietates, quas nos optimo, et copioso Saccharo ditati ex eodem cum mucilagine coniuncto, varia quidem proportione, et methodo, varioque item rerum additamento apte confectas ad medendum traduximus.

1268. Qua de caussa mirabitur nemo si hodierna Medicina eos fructus sive recentes sive maxime exsiccatos, in quibus melius, copiosiusque evolutae cum mucilagineis oc-

curunt Sacchari particulae, tum ob nullam singularem proprietatem, aut peculiare commodum probare possit, ad inusitata, ac supervacanea Expectorantia amandaverit. Nemo rursus quaeret, cur ad Decoctum Pectorale parandum olim apud nos, veluti Species Bechicas, aut Pectorales aptissimas praestarent, usitati maturi exsiccati fructus mucilagineo-dulces exoleverint; ac superfluum plane mihi videatur de iisdem aliquid tradere post ea, quae de fructibus *Vitis* sive *viniferae* seu Passulis maioribus, sive *apyrenae* seu Passulis minoribus, aut Uvis Corinthiis, tum *Ficus caricae* seu Caricis, tum *Phoenicis dactyliferae* seu Dactylis, similibusque (§. 190. 191. 194.) loquens exposui. Nemo denique caussam non illico assequetur, ob quam hic loci vix attingendos ducam *Cordiae myxae* fructus seu drupas Sebesten vocatas, quae ex Aegypto et Malabaria olim advectae, subnigrae, et rugosae ob viscosam dulcedinem, Aetio praeeunte, in raucitate, tussi, et sputi difficultate, ubi non minus chronica, quam acuta pectoris aegritudo praesto esset, in usum veniebant; vixque pariter credam commemorandos fructus *Rhamni zyzyphi* seu Iuiubas, quae drupae, licet recentes hic suppetant, ac probe maturae, atque exsiccatae cum mucilagineo dulcissimum quoque saporem prodant, neque decoctis addicii, neque ad Syrupum de Iuiubis iamdiu exoletum conficiendum recipi amplius solent.

1269. Itaque his missis, neglectaque simul nobis insueta pulpa *Ceratoniae siliquae* seu Siliquae dulcis, quae e legumine exempta fusca, et dulci donata sapore sicca olim, sive per se, sive aliis admixta remediis simplicibus, compositisque, Expectorantium mucilagineo-dulcium numerum augebat, quaedam potius obiter attingam, quae vires, atque usus attinent radicis suis qualitatibus notissimae, quam *Glycyrrhiza glabra* seu Glycyrrhiza, aut Liquiritia Medicamentariis officinis tribuit. Ob dulce enim principium, in cortice potissimum delitescens, amaris aliquot particulis, ac copiosae mucilagini admixtum, sive per se dentibus confecta, sive aquae incocta, sive forma succi, aut extracti usurpetur, egregium, atque ob peculiares quasdam proprietates saepe commodum auxilium tussientibus, ac pectore laborantibus affert. Porro notum est omnibus hisce modis dum stimulum retundit irritantem fauces, phlogosim temperat, asperitatem oblinit, ac crassum mucum resolvit, quo acris mitigetur tussis, et sputum facile, copioseque moveatur, non solum opportunum saepe expectorans remedium evadere Glycyrrhizam, verum etiam quibusdam medicamentis additam horum fervorem, atque acrimoniam commode corrigere, atque in ore detentam sitim fallere, quo hydropicis, aliisve aegris sitientibus insigniter opituletur, quando praesertim liberalis potus non conveniat, aut non sufficiat.

1270. Non in omni interim casu quisque existimet tussim compescere, ac sputum excutere Glycyrrhizam; quia in graviori, aut pertinaciori tussis, vel sputi difficultate plerumque aut parum, aut nihil proficit. Neque quando indicata est, ubi quaedam in eius usu servanda negliguntur, expectationem explet. Nam, ut mittam succum, interdum probae notae non esse, non scilicet ex luteo fuscum, in tenaces cylindros conformatum, grate dulcem cum lenis postea se prodeuntis amororis sensu omni acrimonia experte, purum, ac scissura nitentem, cuiusmodi ex Hispania adfertur, at plane nigrum, friabilem, halitu ingratum, acrem, atque impurum, satis non est generatim eum ad unam, alteramve drachmam intra diem usurpare, ut fieri apud nos plerumque solet, sed oportet sive in ore solvendus sit, sive cum potione aliqua, aut linctu sumi debeat, ad unciam, et ultra in die, Ill. TISSOTO monente, usurpare. Quod si radix adhibenda videatur, duo animadvertenda sunt, nimirum eam ad sesquiunciam, impendendam saltem esse, si decocti forma danda sit, tum Auctore MURRAYO (*a*) sub finem coctionis reliquorum addendam esse, ne amaritiem eiusmodi tribuat decoctui, ob quam hunc aeger plane fastidiat, ac respuat. Demum monuisse iuvabit alterutra forma

---

(*a*) Op. cit. Vol. II. pag. 376.

adhibitam Glycyrrhizam magis expedire quacumque alia, ut proinde dolendum non sit, si Pasta lquiritiae, Bacilli albi, Trochisci bechici, sive albi, sive citrini, sive nigri, Syrupus Glycyrrhizae, Elixirium pectorale, aliaque, remedia sint vel praecipue, vel partim ex Glycyrrhiza composita nobis plane insueta, qui vix ad Species Pectorales radicem retinemus.

1271. Et re quidem vera quomodo ista, etiam ubi prodessent, tanti fieri hodie possent cum ex Saccharo, et gummi paria virtute, et gratia saporis confici queant, tum remedia Saccharo edulcari, tum linctus, potionesque possint demulcentes satis reddi addito etiam Melle, de quo veluti medicatissimo nunc dicam? De eo autem dicturus, quod una cum Cera ex florum praesertim nectariis, et capsulis antherarum mira industria ab Apibus colligitur, elaboratur, atque in alvearibus deponitur, eius solum medicatas facultates, atque usus exequar. Ab instituto siquidem alienum esset modo describere Apum originem, structuram, discrimina, generationem, societatem, huiusque formam, artificium, quo melleum succum ex floribus exprimunt, atque a cera secernunt, figuram domiciliorum, quae sibi construunt, ac similia Apum mirifica opera considerare, quae vel sunt cuique notissima, vel ex Rerum naturalium historia peti debent.

1272. Praestabit idcirco istis posthabitis nunc advertere Mel ex favis sponte extillans, Virgineum dictum, eo longe purius, et melius esse, quod torcularis ope, aut qualibet expressione defluit, cui aliquid etiam cerae haeret admixtum; liquidum, crassum, ac viscosum ita esse, ut frigore non multo concrescat; colorem album, vel flavescentem, vel subrufum pro regionis diversitate referre; odorem habere sat gratum sibique proprium, ac saporem dulcissimum, interdum aromaticum, et Rori marino proximum, qualis in melle Narbonensi notatur, quod proinde omnium optimum hodie censetur, dum Veteribus, Plinio auctore, laudatissimum fuit, quod in Hymetto Atticae monte colligebatur, cuius sapor dulcis quidem erat, sed ita tamen, ut acritudinem quandam haberet permixtam gustu apprime iucundam; qualem etiam Antiquiores in optimo quoque melle iure requirebant.

1273. Nec alienum est observare Mel aqua facilius, quam alcohole solvi; cum oleis aethereis, balsamis, ac resinis commisceri; resinosis, et mucagineis partibus admixta ita habere caetera Sacchari principia, ut horum ratione, ac proinde ob necessarias proprietates cum eo conveniat; aquae remixtum facile fermentescere, ac tunc in liquorem inebriantem mutari vinum Hispanum optime notae suavitate saporis, ac colore referentem, qui Mulsum, aut Hydromel vinosum vocatur; acidum Saccharo proprium distillatione prae-

bere; lac cogere, in igne flammam concipere, ac cum argilla, aliisque operibus, vel methodo Cl. LOVITZII in crystallos concrescere, quae album Saccharum referant. Ex quibus sane omnibus singulae Mellis facultates solent explicari, ac speciatim cur ipsum nutriat, edulcoret, abstergat, urinas cieat, emolliat, ac, quod hic maxime iuvat attendere, ad sputum movendum valeat, ne persequar caeteras vires Saccharo magis proprias, a quo quidem Mel ideo praesertim discriminari virium ratione animadvertit SPIELMANNUS quod abstergendi, ac resolvendi potentia emineat plurimum Saccharo, cui inter depurandum omnis pene mucilaginea extractiva saponacea pars dempta est.

1274. Crebro proinde sive interius, sive exterius Mel ad medendum recipitur, ac saepe morbis auxiliatur, si eorum natura eius usum postulet, atque aegri proprietates eidem haud repugnent. Alterutrum enim, ubi occurrat, noxas quidem infert. Porro tussientibus, asthmaticis, peripneumonicis, pleuriticis, aliave pectoris aegritudine detentis ob copiosum, et crassum praesertim mucum in bronchiis aggestum egregie subvenit, dum contra in morbis ob nimiam, ut putant, tenuitatem, atque acredinem, tum ob debilitatem, laxitatemque ortis alienum censetur. In faucium item vitiis, tonsillis, atque aliis anginae speciebus utiliter gargarizatur, imo in pluribus aliis affectibus ab aliquot drachmis ad aliquot uncias si opportune lingitur, aut si

sumitur ad gratiam saporis in idoneo liquore auxilio esse solet, dummodo serosus, mucosus, aut crassus quicumque humor morbum inferat, aut foveat. Nocet contra generatim iis, in quibus stomachi succi vel acescunt, vel ad acorem proximi sunt, et stomachus, atque intestina debilitate laborant, vel inflationibus ex aere facile torquentur.

1275. Ex istis autem viribus, atque effectibus, quos exhibet Mel purum, optimumque, non arduum erit assequi, quid Mella varia in Medicamentariis officinis obvia praestare possint. Quae enim nec multas, nec unquam multarum virium res habent admixtas, non alias generatim, potioresque queunt exerere vires, quam quae simplici Melli competunt. Et profecto Mel despumatum, Pectorale, Rosarum simplex, Anthosatum, Mercuriale, seu ex herba Mercuriali, Violarum simplex, atque aliud quovis simile, species sunt omnes Mellis, quae, praeter gratiam sive odoris, sive saporis, nullam, aut non multi faciendam virtutem Melli tribunt. A communibus igitur huius proprietatibus vix, ac ne vix quidem, Mella eiusmodi erunt distinguenda, dum contra distingui debent quae vel magis composita sunt, vel efficaciora medicamenta continent.

1276. Melle interim frequentius Saccharum hodie adhibetur cum generatim recipi soleat ad ea fere omnia praeparata, et composita quae alias Mel admittebant. Sive enim

quod ista cum Saccharo minus facile fermententent, sive quod sumentium palato et stomacho magis arrideant, sive quod addita mucilagine possint omnes Mellis facultates adipisci, ex Saccharo omnia, paullo ante indicatis, aliisque paucis exceptis, componuntur. Quae porro Saccharo natura sit, quotque vires praecipuae sint, aliis locis (§. 131. et seq.) tum speciatim (§. 135.) ita prolatum fuit, quibusdam etiam usibus indicatis (§. 287. 324. 1009. 1020.), ut nunc ea tantum debeam proferre, quae nondum proposita, utpote scitu utilia ac necessaria, ignorari non debent. Porro primum monebo Saccharum etsi educi possit, quemadmodum MARGRAFFIUS praesertim eduxit, e radicibus Dauci sativi, Betulae albae, Siseri, Pastinacae, Rapae, ac similium, ex nonnullis Arboribus, ac speciatim ex Acere, aut e quibusdam Aloes, atque Apocyni speciebus, atque ex omnibus pene Gramineis stirpibus; longe maiori tamen copia, et quidem magna, educi ex arundine *Sacchari officinalis* septem, vel octo pedes longa, duos pollices crassa, geniculata, et perenni, quae ad Tropicos ultro crescens nunc in Asiae, Africae, atque Americae regionibus abunde colitur, atque in Sicilia culturam admittit.

1277. Ex ea autem arundine sive sponte, sive facta incisione non modo lacrymae instar candidum nativum Saccharum exsudat; sed ex eadem arundine concisa, ac molis pressa exprimitur succus inodorus, sapore dulcissimus

qui coctione, spuma reiecta, aqua evaporata, lixivio addito, inspissatus, et purus factus albedinem, splendoremque acquirit, ac multiplici, et diutino opere, quod oleum adimat, exsiccatur, aptamque formam consequitur. Quae quidem sive puritatis, sive figurae, sive exsiccationis dissimilitudo efficit, ut Saccharum in nigrum, rubrum, album, albissimum, crystallinum, aut candum, penidium, farinaceum, perlatum, et stellatum discriminetur. Cuique tamen speciei commune est, in crystallos prismaticas ex octo superficiebus planis concrescere; cum quadam viscositate, atque acritudine dulcissimum esse gustu plane iucundum; odore destitui; neque acidam, neque alcalicam revera indolem ostendere; in aqua confestim solvi, ac contra aegrius in vino, eiusque spiritu; oleum inter, et aquam se interponendo utriusque coniunctionem praestare; fermentatione in vinum, Alcohol, atque Acetum mutari; atque in igne cito liquescere, flammaeque inspersum illico inflammari, spumescere, valideque flagrare.

1278. Cum autem, praeter caeteras alibi propositas vires, habeat etiam Saccharum saponaceam, edulcorantem, ac tenuantem, relaxantemque, pronum est intelligere, quo modo auxilium Expectorans egregii usus Medentibus afferat. Quatenus nimirum viscidos lentosque humores tenuat, resolvit, et discutit, faucium, et gutturis asperitatem lenit, ardoremque temperat, ad tussim sedandam, sputum movendum, abstergendas ulcerationes,

aliaque commoda praestanda adeo valet, ut non minus chronica, et lenta pectoris passione detentis auxilietur, sed acuta etiam, aut celeri laborantibus subveniat. Istis autem sive solutum infusis, decoctis, aliisve potionibus, quibus ad gustus iucunditatem adiicitur, sive instar Linctus, aut Syrupi propinetur, non minus prodesse solet purum optimumque Saccharum, quam ipsum prosit ita praeparatum, ut fiat P e n i d i u m, P e r l a t u m, C a n d u m, T a b e l l a t u m, H o r d e a t u m, R o s a t u m, et V i o l a t u m, quidquid docuerint olim, qui proprie singulares facultates istis Sacchari variis praepationibus fidentissime tribuerunt.

1279. Ab istis Expectorantibus, quae a Saccharo, aut Melle vim suam, vel omnem, vel praecipuam, agnoscunt ad aliud genus Expectorantium, quod Incidentia vocavi (§. 1248.) sensim, ac gradatim deductus sermo incidit. Nam illa incidendi virtute non carent, haec vero sacchari, aut mellis aliquid secum crebro recipiunt. Erit idcirco opportunum illis ista subiungere postquam monuero ea Expectorantia, quae irritatione sublata prosunt, complecti singula non posse, si ab eorum numero ea, quae spasmos sopiunt, et sedant, ac speciatim Opiata medicamenta excipiantur. Horum quippe usus quam late patet. Etsi enim praeter cutis viam, quam aperiunt, reliquis soleant impedimento esse, ne humores extra corpus expellant, hoc ipso tamen, quod ad cutim deducant, revocata sae-

pe ad eam ex ipsis brochiis, pulmonibusque humoris vel qualitate, vel copia nocentis affluentia, tussim leniunt, atque in aspera arteria iam haerentem ad exitum invitant. Quatenus vero ob spasticae, ac nervosae affectionis vim saepe sicca aspera tussis saevit, aut sputum prohibetur, vel retardatur; nullum sane tunc esse poterit expectorans Opio, aliisque ex eo ductis pharmacis promptius, ac tutius. Cum praeterea etiam quando tussis saevit aliarum caussarum actione, quas mitigare, aut amovere vel protinus, vel facile Ars non potest, ad eam per aliquod saltem tempus sistendam (quo et remediis aliis fiat locus, et forte ipso quietis intervallo a pertinaci incepta consuetudine natura feliciter avocetur) Opio persaepe utendum sit; istud expectorans usitatius, aptiusque evadit.

1280. Ergo huc quoque spectabunt, praeter Opium, singula ex eo praeparata, ac composita medicamenta, de quibus fuse iam disserui (§. 964., et seq.) tum speciatim, quae pariter memorata (§. 969., et seq.) a Medicis ad tussim sedandam, atque ad caussas sputum praepedientes removendas in usum crebrius vocantur. Sunt quippe eiusmodi Laudanum liquidum, Extractum Thebaicum, Haustus narcoticus, Pilulae de Cynoglossa, vel de Styrace, ac Syrupi Papaveris albi, et Meconii. De quibus sane non est quod modo dicam, cum alibi singulorum vires, usus, atque exceptiones satis exposue-

rim. Praesertim cum singulos determinare casus pro morborum discrimine, in quibus, istis ut Expectorantibus utendum sit, vel prorsus ab iisdem abstinendum, qui specialem Therapeuticen tradunt sibi soleant opportune assumere.

1281. Aggrediar proinde Expectorantia incidentia, opinione quidem vulgi, et quorundam Scriptorum qnam plura, virtute tamen non multa. Etenim, ut a *Viola odorata* seu Viola initium sumam, eius floribus nullam propriam vere utilem facultatem tribuo, atque inde paratis Syrupo, Melli, et Conservae Violarum eam tantum concedo, quae ab adhibito Saccharo, aut Melle proficiscitur. De infusis item, apozematibus, decoctis, ac syrupis ex *Adianto capillo veneris*, ex *Asplenio* sive *scolopendrio*, sive *adianto*, sive *ruta muraria*, ex *Ophioglosso vulgato*, atque ex *Polytricho communi*, quae inter Capillares stirpes ad sputum movendum aptiores vel olim habebantur, vel adhuc a nonnullis censentur, eandem sententiam foveo. Per se enim eiusmodi Stirpes iam compertae vel nulla, vel exigua adstringendi facultate donatae (§. 735., et seq.) sputo etiam movendo impares videntur. Calidae siquidem aquae cum iisdem largiter, ac subinde epotae effectus, nisi ab addito Saccharo sint (§. 735.), tutius ego deduco, quos earum non manifestis, nec revera evictis viribus expectorantibus quidam referunt.

1282. Prae hisce igitur Filicibus, ac Muscis de Medicina Algae merentur, quatenus pectori utiles, ac saepe sputo movendo pares stirpes ei largiuntur, atque inter eas principem virtute *Lichenem islandicum*. Non ego quidem puto eo fine probandum *Lichenum saxatilem* seu Usneam, quia ad eum assequendum idoneam nemo hactenus, nisi ex coniectura a genere ipso ducta, potuit inferre, dum interim constat vana, atque absurda esse quae de vulneraria, atque antiepileptica eius facultate olim proferebantur. Non item, ut expectorans remedium laudo *Lichenem aphtosum*, cum nobis plane inusitatus alvum potius ducendi, et vermes necandi potestate donatus a Medicinae Scriptoribus iudicetur. Non rursus tussientibus, aut aegre scereantibus opem multam allaturum arbitror *Lichenem caninum* seu Muscum caninum, aut Lichenem cinereum terrestrem, quamquam cum levi acredine, et pravo halitu mucosum saporem prodat, ex quo expectorans virtus praemonstrari videretur. Nulla enim observatione firmatam eiusmodi coniecturam parvi facio, quemadmodum dicens de efficacioribus, et magis evictis auxiliis in Aquae formidine adhibendis de eodem Lichene silui, aut P u l v e r e m A n t i l y s s u m, ad quem recipitur, indicans vix attigi. Quomodo siquidem de eius antilyssa facultate aliquid assentiens iure dicere potuissem, si post tantas MEADII, aliorumque laudes in Anglia

ipsa, apposite observante MURRAYO (*a*), fidem adeo amiserit, ut iam sine eo pulvis ille paretur?

1283. Verum dum istas, aliasve Lichenis species omitto, duas ad Expectorantia remedia, praeter Islandicum, revocandas esse duco, nimirum *Lichenem pulmonarium* seu Pulmonariam arboream, et *Lichenem pyxidatum* seu Muscum pyxidatum. Prior enim species sicuti principiorum, ac qualitatum ratione ad Islandicum accedit, ita in pectoris affectibus, tussi pertinaciore, et hemophthisi forma pulveris ad unam, alteramve drachmam, decocti vero ad duas, tresve, bis, aut ter quotidie, aliquot diebus, usurpatum non semel profuisse compertum est. Altera autem species, cui MURRAYUS *Lichenem cocciferum* ex LINNAEI sententia praetulit, etsi perinde sit alterutram usurpare, altera, inquam, Lichenis Islandici qualitates, et vires adeo aemulatur, ut noverim pari eventu huic suffectam, cui caeterum nec nomine cedit, Quod enim in tussi convulsiva, etiam epidemice grassante, iamdiu sibi comparaverat, quodque maius erat consequuta WILLISII opera, qui eam pulveris, decocti, aut syrupi modo valde probavit, magnum reddidit tam mirifice subveniendo quadraginta pueris vehementi, pertinaci, ac caeteris iam reluctata remediis tussi

(*a*) Op. cit. Vol. V. pag. 528.

convulsiva Petropoli vexatis, quibus eam decoctam cum Menthae Syrupo Cl. WOENSELIUS obtulerat, ut, uno excepto, singuli circa septimam, aut ubi gravior morbus esset, circa decimam quartam diem convalescerent (*a*).

1284. Hinc quamquam VOENSELIO, aliisque subscribendum non sit reputantibus hunc Lichenem tussis convulsivae absolutorium esse, fateri saltem oportet adversus eam egregium, ac fortasse saepius utilissimum largiri remedium, in aliis caeterum casibus proficuum. Sive enim adstringente et roborante principio, sive mucilagineo, sive utroque opem afferat inveterata tussi, modo sicca, modo pituitosa detentis, ac phthisi occupatis insigni auxilio fuisse tum Clariss. Viri DILLENIUS et WILLEMETUS cognoverunt, tum praesertim observavit Ill. STRACKIUS, cuius doctrina, atque artis usu praestantissimi auctoritati plurimum defero.

1285. Eiusmodi igitur Lichenem non infrequenter Medici adhibeant, sicuti nunc Islandicum superiori Saeculo perraro usurpatum variis modis crebro adhibent. Cum enim hunc halitu mucosum, et sapore amarum ob copiosam mucilaginem cum aliquot resinosis, amaris, leniterque adstringentibus particulis

---

(*a*) Hist. de la Societé Royal de Paris ann. 1777. 78. pag. 294.

coniunctam non minus abunde nutriendo, quam roborando, ac putredini arcendae parem LINNAEUS, MYGINDIUS, et SCOPOLIUS usitatiorem reddidissent, eius praestantia adversus tabem, phthisim, tussim inveteratam, aliosque pectoris morbos melius constituta, Clinici ad medendum saepissime traducunt. In hisce morbis, ex Cl. PAULIZKYO repetit MURRAYUS, mitigat tussim, respirationem „liberaliorem reddit, lenit febrem, sputa „corrigit, cibi appetitum auget, digestionis „praesidia restaurat, et vires totius corporis „erigit, sudores, et diarrhoeam colliquativam „coercet, et nutritiis particulis ita corpus re„plet, ut loco maciei pristinae pinguem „habitum induat. Qui non sanantur mali „vehementia horum tamen conditionem tole„rabiliorem reddit, et vitam protrahit. Tu„bercula tenacia si pulmones obsident, nulla „spes auxilii a lichene capi potest, attamen „non nocet (*a*).

1288. Mihi proinde eius usu ita instituto, ut ad dimidiam, vel ad unam unciam in sexdecim aquae unciis incoctus Lichen donec duae, tresve insumptae fuerint partite intra diem hauriretur, nunc per se, nunc cum Cortice Peruviano cum magis roborare expediret, quam saepe auspicato accidit aegris opitulari. Diuturno enim usu huius remedii

(*a*) Op. et Vol. cit. pag. 514.

ea forma adhibiti, quae pulmento, infusui, et pulveri commodo, atque utilitate praestare videtur, mihi quidem contigit non infrequenter instantem phthisim arcere, incipientem discutere, imo provectam interdum sanare, ipsam subinde mitiorem reddere, diuque trahere ulcerosam, diram atque inveteratam tussim tollere, sputi difficultatem aufferre, et copiose ipsum educere, humido asthmate detentis, atque e disrupta vomica suppuratis, aut marcescentibus auxiliari, haemophthisi obnoxiis mederi, ob praegressi morbi, sive acuti, sive chronici diuturnitatem exhaustos, et contabescentes reficere, atrophia, et tabe, lentaque febre occupatos refocillare, atque implere, ac demum pertinacia alvi profluvia sistere. Quando nimirum morbus vel instabat, vel coeperat, vel iam invaluerat ob pituitam, ob defectum nutritionis, debilitatem, laxitatem, infirmitatemque pulmonum, stomachi, nervorumque, vel ob vitiati cuiusque humoris, ac praesertim rheumatici, arthritici, atque exanthematici refluxum ad pectus, aliasve partes, vel ob alias denique caussas, quas plene nutrientia nec stomacho gravia, atque indole mitissima demulcentia, roborantia, leniterque adstringentia oppugnant.

1287. In hoc profecto rerum statu versantibus aegris eximie succurrit Lichen islandicus, dum caeteris ex dissimilibus caussis laborantibus alienus, ac nocuus existit. Ubi enim, sive ad sputum movendum, sive ad aliam quamcumque salutarem mutationem infe-

rendam expedit crassum, et viscosum tenuare, et discutere medicamento, quod proprie incidat, resolvat, aut non leviter stimulet, nisi aliis admisceatur remediis, per se inutilis est. Ubi etiam prompte, valideque roborare conveniat impar auxilium est, nisi cum Cortice peruviano consocietur, aut ab aliis interpositis opem accipiat. Ubi phlogosis, aut inflammationis metus adsit, vel haec iam occurrat, vel ob eiusdem non plane devictae stimulum pectus laboret, generatim nocet. Est etiam quibusdam, ut interdum vidi, vel ob peculiarem conditionem stomachi, vel ob alias caussas contrarius, ita, ut neque diu, neque ea copia dari possit, quacumque methodo detur, qua manifeste, ac satis queat auxiliari. Officit denique iis omnibus, in quibus, non initio quidem, aut subinde alvum duxit, sicuti saepe evenit, atque interdum alienum non est, aut primis vicibus nimis molestum sensum amaritie sua movet, at constanter alterutrum, vel utrumque inducit. Nisi enim forma praescriptionis mutata, copia remedii imminuta, eiusve usu intermisso, vel dulcibus additis, vel aliis rebus admixtis alterutrum cesset incommodum, ab eo praestat abstinere. Maxime vero quando ad utrumque vitium decoctui adimendum, quod saepe valere, ac satis esse experior, Medicamentarius artifex herbam aqua prius infusam, apteque maceratam nova postea aqua decoquendam curaverit.

1288. Rectius vero tamquam Expectorantia incidentia prae istis, quae etiam diversa ratione agunt, probanda essent alia Vegetabilia eademque ob agendi modum huc spectantia, si maior, magisque evicta facultas in iisdem inesset. Quae enim ex Rotaceis alias laudatissima erat incidendi, ac resolvendi virtute herba *Anagallidis arvensis* sive Anagallidis cuinam revera subvenerit observatione non liquet. Quae ex Aggregatis *Scabiosae arvensis* seu Scabiosae herba, (altera specie, quae *Scabiosa succisa*, seu Morsus diaboli dicitur, nobis plane inusitata) Rivino, et Boerhaavio auctoribus alias credita est pneumonicis, phthisicis, empyiemate, aut humido asthmate, et chronica generatim pectoris passione laborantibus utilissima, crassis tenuatis humoribus, sputo eductis, ulceribusque abstersis, parvi admodum fit, quia non eius virtuti, sed medicaminum una adhibitorum, commodum omne tribuitur, quod ex ea data visum est. Quae vero ex Verticillatis ducitur tamquam praecipuum auxilium tenuans, abstergens, sputum movens, ac vulnerarium, nimirum *Glecoma hederacea* seu Hederae terrestris herba, forma Infusi, Succi, Conservae, et Syrupi a magni nominis Clinicis olim in phthisi, hemophthisi, chronicisque pene omnibus pectoris morbis summopere laudata, tanti utique facienda esset, nisi constaret per se nunquam adhibitam fuisse, ubi profuit, at perpetuo cum Saccharo, Melle, Conserva rosarum, Lacte, Sero, aliisque remediis quo-

rum in adductis casibus efficacitas iam nota est. Per se enim vix non iners (§. 847.) existit.

1289. Qui vero in mentem revocet quae Verticillatas alibi recensens protuli tum de *Marubio albo* (§. 845.), tum de *Hyssopo officinali* (§. 842.) mecum fortasse existimabit utriusque stirpis laudes in sputo movendo, et curandis pectoris morbis, etsi vim habeant tenuandi, et resolvendi, angustioribus coercendam limitibus esse, quam hodie plerique Medicorum iudicent. Nec aliud videtur dicendum de probatissima olim inter Personatas stirpes *Veronica officinali* seu Veronica, quae, praeterquamquod non tenuando, sed adstringendo agere aequiori iure censetur, vel lenissimo aromate, ob quod Theae Chinensi suffecta est, etiam stimulando; quoniam in tussi, asthmate, et phthisi ulcerosa id sibi sumpsit, quod verisimilius remedia alia eodem tempore usurpata in aegrorum salutem praestiterant: ne dicam etiam cum MURRAYO pertimescendum esse „ ne adstringens stirps „ screatum potius cohibeat quam adiuvet, „ nisi debilitas pulmonnm subsit, cui subve„ nire potest quodammodo roborans Veroni„ cae vis (*a*).

1290. Nec multum soleo polliceri, quamquam sciam incidendo, abstergendo, et resolvendo non impar remedium largiri, ab iis

(*a*) Op. cit. Vol. II. pag. 206.

duabus adhibitis Oleraceis stirpibus, quarum una *Chenopodium botrys* seu Botrys vulgaris, altera *Camphorosma montpeliensis* seu Camphorata dicitur. Utraque enim nec semper efficax apparet, nec unquam tantam opem affert, quantam nonnulli generatim praestare tradiderant. Nec fidenter praeterea possum probare in pituitosis faucium, et pulmonum affectibus, ut humor resolvatur, et cum sputo facile prodeat, decoctum sive ex *Brassicae rapae* radice, sive ex foliis *Brassicae oleraceae* cui Vulgus apud nos multum tribuit. Ad domesticam siquidem Medicinam receptum cum saepe viderim, potui quidem observare interdum mucum tenuare, ac sputum movere, at nunquam id efficere quin stomachum oneret, ac ventris inflationes suscitet.

1291. E Siliquosis plures etiam stirpes in modum Infusi, Succi, aut Conservae ut Expectorantes a Medicis non raro solent praescribi. Num recte? Quando mucosa humorum colluvies tenuanda sit, et leni excutienda stimulo, ac scorbutica labes praesertim occurrat, Expectorantia, quae indicantur, ex hoc Stirpium ordine petere sapientis Artificis est. Esset interim tunc supervacaneum quorundam morem sequi, qui simul Siliquosas multas usurpant, aut parum utile esset eos imitari, qui minus efficacibus fidunt, quasi istae, quae aliis potentia adversus scorbutum cedunt, vi tenuandi, et sputum movendi antecellerent. Ego sane quando hoc remediorum genus requiritur, caeteris posthabitis, ac du-

duplici etiam omiſsa *Eryſimi* ſpecie, de qua iam dixi (§. 866.) *officinali*, ſcilicet, et *alliaria* utor vel *Siſymbrio naſturtio aquatico*, vel *Cochlearia officinali* quoniam utraque herba reliquis uſitatior, atque efficacior etiam in pectoris pituitoſis morbis fiduciam Medicorum obtinuit.

1292. Verum laudatiſsima inter Lomentiꝗceas *Polygala* eſt, ſeu triplex eiusdem ſpecies, quarum una *ſenega*, altera *vulgaris*, et tertia *amara* vocatur. Cuique ſua virtus eſt, nec quidem aut mediocris, aut unica, eſtque rurſus in morbis non unus uſus; quemadmodum ad ſingulas ſpectantia Scriptorum, Clinicorumque teſtimonia expendenti evidenter patebit. Prioris porro ſeu Senegae, aut Senekae, nobis Polygalae virginianae radix, quae ex Virginia, ac Penſilvania adfertur inodora, ſenſum inſtar farinae, dein leniſsimi acidi, ac poſtea pungentis levis adſtrictionis excitans, cylindrica, digitalis, inflexa, nodulis interſperſa, extus cinerea, intus albida, ac lignea, medicatiſsima cenſetur. Et re quidem vera ab Americanis contra Crotalorum omnium venenatiſsimi, nempe *Crotali horridi* morſus intra quinque, aut decem minuta interdum lethiferos radix certum habetur remedium, non minus intus adhibita, quam ſi dentibus confecta, aut contuſa vulneri imponitur. Tradit etiam LINNAEUS praeſentiſsimo auxilio fuiſſe Mulieri a ſerpente ſauciatae, qui *Coluber* utrum *cherſea*, an *berus* fuerit non dum conſtat.

1293. Magnum vero nomen est consequuta ob eximiam resolvendi vim in ipsis inflammationibus pectoris pluries declaratam, qua spurias interdum et leves per se, veras autem et graves post aptam antiphlogisticam curationem, et sanguinem inprimis satis emissum potuit discutere. Etenim quod TENNENTIUS, et BOVVARTIUS speciatim tradiderant, respirationis difficultatem, dolorem, et febrim auferre, sputo facili, et copioso avocato, id plures alii in pleuritide, aut pleuroperipneumonia laborantibus observarunt, ne dicam modo quid animadverterint circa eiusdem radicis utilitatem vere eximiam in morbis aliis evictam, quatenus, apte attenuatos, morbidosque humores per varia loca eliminat. Vomitu scilicet, alvi ductione, urinarum profluvio, aut salivae etiam fluxu superfluis, alienis, et nocuis illis humoribus eductis, non solum morbis non paucis, alibi indicandis, opitulatur Virginiana polygala; verum etiam crassos, concretos, impactos, haerentesque humores in ipsis pectoris morbis, quos iam inciderit, ac discusserit, tam saepe per eas vias educit, ut a quibusdam iudicetur eas potius, quam sputum moliri: unde quando istud prae aliis egestionibus conveniat, certum, aut raro fallens auxilium expectorans ab ea radice sperare non liceat.

1294. Porro certum auxilium ad sputum movendum etsi nequeat afferre Polygala virginiana, saepius tamen, quam nonnullis videatur, a me adhibita crassam viscidamque

materiem tenuando, atque extra pectus eiiciendo, tussi vexatis, ac spirandi angustia, et sputi suppressione, aut defectu oppressis egregie subvenit. Tunc enim ad sputum movendum non aptam, aut parum efficacem inveni, quando, licet ob morbi caussas opportuna existat, pulsuum aliqua durities, febris non admodum levis, temperamentum prorsus sanguineum, calor cutis intensus, nimia irritabilitas, atque alia similia morbum comitantur. Stimulando quippe auget vim caussarum quae sputum retardant, aut impediunt, sicuti apud nos efficit persaepe, quando in decoctu sive vinoso, sive aqueo in adductis praesertim morbis ad unciam, in pulvere ad sesquidrachmam, vel duas drachmas initio intra diem sumatur; quia ventriculo, atque intestinis validius, quam primis vicibus oportebat, exstimulatis, anxietatem infert, quae sane ad sputum, etiam ubi coeperit, prohibendum aptissima est. Quare multiplici doctus experientia solebat BURSERIUS primis saltem vicibus a granis decem ad scriptulum in pulvere, atque a dimidia drachma ad duas in decoctu Senegam exhibere sive pectoris morbis, sive aliis, acutis, chronicisve, quos alibi proponam, mederetur.

1295. Num vero huic Polygalae, quae *vulgaris* est, veluti suppar viribus substitui commode posset, cum illius resolventes, atque evacuantes facultates innotuissent, quaesitum est in Gallia, atque in Italia a Clinicis magnae auctoritatis, eo quidem eventu, ut non-

nulli in vulgari parem efficaciam, quidam etiam maiorem, alii denique debiliorem inesse contenderent. Ego autem cum saepe in morbis, quibus Seneka maxime opitulari dicitur, vulgaris radicem adhibuissem haec observavi: hydropisis variis speciebus plurimum iuvandis, ut quidam censent, raro parem esse, in integrum vero curandis, nisi levissimus, ac recens sit morbus, prorsus imparem diu etiam ac liberaliter datam; urinas tunc, aliasve exinanitiones Virginiana longe debilius invitare; in tussi, asthmate, colica nephritica, atque ischuria a crassa, et tenaci humorum colluvie eadem longe minus prodesse ob minorem, ut suspicor, tenuandi, stimulandi, ac resolvendi potentiam; ad retenta, aut suppressa uteri purgamenta avocanda, ob eandem forte caussam non sufficere; ad sputa praeterea movenda, et nothas pleuritides, aut peripneumonias, ac pituitosas phthises mitigandas, aut discutiendas plus valere Virginiana ubi minus stimulare, atque una calorem minus excutere oporteat, contra vero huic cedere quando efficaciori agere stimulo conveniat, ac speciatim prosit ex cute, aut ex urinae itinere exinanitionem promovere; largius Senega tum in pulvere, cum in decoctu praescribendam esse, ut manifestos effectus exerat; ac denique vulgaris huius Polygalae herbam Theae Chinensi supparem habitam neque huius gratum saporem referre, neque usus recte explere.

1296. Tertia denique species, seu *amara* utrum radicem, in qua non omnes amaritiem admittunt, *Polygalae* sive *Senekae*, sive *vulgaris* radicibus, quo ad vires, parem suppeditet, an virtute vel debiliorem, vel prorsus dissimilem non facile dixerim. Non exiguum sane nomen eiusmodi radix obtinuit, ac maxime eius cortex apud Vindobonenses Medicos, atque exterarum Gentium Scriptores cum in curatione phthisis, quae ex ulcere pulmonum proveniebat, mirifice profuisse COLLINIUS tradidisset, ac Clariss. deinde Viri WILLEMETIUS, COSTIUS, et WILLHELMIUS eam vim confirmassent. Verum Clinici alia adhuc testimonia ex observationibus iteratis deducta requirunt antequam tam egregii usus habeant Amarae polygalae radicem, eamque non minus probatissimis Expectorantibus demulcentibus, incidentibusque, quam balsamicis, ut inquiunt, vulnerariis, et roborantibus remediis efficacioribus tutissime adscribant.

1297. Praeter haec alia etiam Expectorantia, ubi validius incidendum sit efficacioris praesertim stimuli actione adiuvante, commodissima auxilia existunt. Evicit siquidem experientia tunc utiliter usurpari vel Acetum dulce probe notae, cuiusmodi etiam esse solet illud, (quod proinde apud Mercatores prostanti soleo anteferre) e Melle cum aqua multa fermentescente paratum ea ratione, quam Cl MARABELLIUS mire solers sequitur. Acetum, inquam, copiosissima dilutum aqua; vel O x y m e l s i m p l e x; vel,

ubi efficacius conveniat medicamentum, sive tenuans, sive stimulans, aut potius utrumque praestans, Mel scillinum, aut Oxymel, sive Scilliticum, sive Colchicum, aut Vinum scillinum, aut ipsam Scillae pulpam. Haec siquidem singula, alibi rectius expendenda, mucum faucium, et laryngis potenter incidendo, solidasque partes stimulo non mediocri excutiendo pituitosas congestiones resolvere, ac sputum, aut exscreationem movere quotidiana observatione edocemur.

1298. Ubi vero curandum sit, ut dum crassum ac pituitosum tenuatur, et stimulo solidorum vis excutitur, haec intendatur magis, atque una calor incitetur, Therapeutae aliud genus Expectorantium proponunt, quod varia Gummi resinosa medicamenta nobis sistit. Haec siquidem, quae licet inter se actionis gradu, aliisve modis dissimilia sint, principiis tamen, viribus, usibusque parum differre censentur, dum vel alcohole aqueo magis adhuc diluto soluta, vel mucilagine ex gummi, melle, syrupo, ovi vitello, aliisve subacta, vel saccharo tantum admixta stimulant, irritant, et calefaciunt, in chronicis, praesertim pituitosis, ac cum debilitate, laxitateque coniunctis pectoris morbis opportune, prudenterque adhibita congestiones discutiunt, humores resolvunt, pulmonum vires incitant, et sputum valide promovent.

1299. Quae autem sint haec gummi resinosa medicamenta de Umbellatis disserens (§. 917., et seq.) ita proposui, vires, atque

usus singillatim persequens eorum, quae e *Foerula assa foetida*, e *Bubone galbano*, e *Pastinaca opoponace*, e *Sagapeno*, ex *Fagara octandra* sumuntur, aut ex aliis minus cognitis Stirpibus derivantur, ut modo istis ea solum addenda sint, quae eo loco consulto omissa fuerunt. Quae enim vel antispastica virtute debiliora, vel ob eam parum usitata essent, rerum ordo postulabat, ut praeterirentur, quemadmodum nunc idem exigit, ut horum quoque facultates, atque usus proponantur, quatenus inter Expectorantia a Medicinae Scriptoribus solent recenseri. Verum haec, si pauca excipimus, ad sputum movendum non adhibentur, nec aliis medicatis usibus hodie multum inserviunt. Non adhibetur enim vero ex Hispania advecta sive Ambra liquida, sive Styrax liquida (quam *Liquidambar styraciflua* aeque suppeditat, illam nempe incisione, hanc coctione) alias discutiendi, ac sputi movendi caussa par balsamis habita, quia supervacanea est in tanta copia similium, quae pariter hoc fine ab omni pene usu exciderunt. Vix autem Styrax seu e *Styrace officinali* incisione effluens gummi resina, quae in lacrymas concreta, pellucida, et subalbida, cuiusmodi pura est, raro occurrit in Officinis, quae deteriorem in massas, aut glebas coalitam communiter servant, ad Pilulas de Styrace (§. 969.), ad quaedam Emplastra, atque ad suffimenta, quae fragrantissimo halitu suo suavissima sane efficit, nunc recipitur, olim tussientibus, atque aegre

spirantibus crebro data, ut humorem tenacem, ac viscosum discuteret, et sputo extra pectus eiiceret. Quae item ex alia Styracis specie, nimirum e *Styrace benzoin* materies erumpit Cortice trunci potius, quam ramorum opportune inciso, Benzoe vocata, quae fragranti halitu, et acri balsamico sapore praedita, atque ex luteo rubicunda, vel rubicundo fusca eo purior videtur, quo lacrymis fragilibus albidis plus scatet, suffimentis potissimum inservit, atque externis medicamentis, ut fragrantia evadant, admiscetur. In tussi enim, asthmate, aliisque morbis pectoris ex pituitoso humore, in quibus non infrequenter alias propinari solebat, vix interdum adhiberi nunc solent eius flores a duobus, vel tribus granis ad sex, decem, aut paullo ultra mucilagine, aut syrupo subacti, qui alias Flores benzoini magni facti usitatissimi apud nos erant.

1300. Nostra item aetate ne quidem interius usurpatur gummi resina ob crebrum eius in suffimentis usum cuique notissima, quae Thus, aut Olibanum audit, quaeque e *Iunipero lycia* erumpit. Cum enim nullam singularem vim habeat, qua affinibus queat in pectoris morbis, quibus mirifice succurrere alias credebatur, antecellere, vix ut discutiens, vel halitu grata quibusdam Emplastris additur. Nec pluris fit hodie ad sputum movendum *Succinum electricum* aut quodvis ex eo praecipue compositum medicamentum: unde iure nequeo aliquid addere iis, quae

ipsum veluti antispasticum expendens alibi monenda esse iudicavi (§. 931.). Quare ab hisce vel supervacaneis, vel parum efficacibus, atque inusitatis expeditus me confero ad duo consideranda, Ammoniacum nempe, et Myrrham, quae plurimi fieri solent. Illud enim vix attigi (§. 920.) cum de antispasticis sermo incidisset, alterius vero vix memini (§. 1024.), hoc loco de utroque remedio rectius dicturus cum ad hoc genus traduci cómmode proprieque utrumque possit.

1301. Pauca porro medicamenta occurrunt, quae resolvendi facultate queant cum Ammoniaco competere, unde usitatissimum non minus a Nuperioribus sit, quam Veteres habuerint, si tamen cum RUTTYO existimari debeat, contra quorundam sententiam verum Antiquorum Ammoniacum nobis haud deesse, quia ob plura requisita, ac praecipue facultates, nullum inter hoc, et hodiernum necessarium discrimen animadvertitur. Ideo enim in hac re magis ambigunt Materiae medicae Scriptores, quia adhuc ignorantes e quanam stirpe, ac quo item loco crescente usitatum nobis Ammoniacum proveniat, et quonam modo educi soleat, vix suspicantur ex Umbellata Stirpe, ob intermixta semina, desumi, vixque sciunt indicare ex Thracia, atque ex Indiis orientalibus ad nos usque deportari. Quare non video quo stabili fundamento innixus potuerit Cl. VITETUS (*a*) fi.

(*a*) Pharmacop. de Lyon pag. 181.

denter asserere Ammoniacum, quo utimur, tum sponte, tum incisione erumpere, ac Lybiam pro patria agnoscere, quam sane regionem Veterum Hammoniaco natale solum praestasse liquet ex Plinio, dum nomen ipsum verisimilius deducit ab Ammonia Libyae provincia, in qua templum erat Iovis Ammonis, iuxta quod ferulae genus Hammoniaci lacrymam, aut succum stillantis in primis nascebatur (*a*).

1302. Quamquam vero haec nos lateant, illa, quae tamen novisse maxime interest, satis nobis comperta sunt. Scimus enim in grandes massas non ita perpetuo huc adferri, ut sublutea concreta materies grana plura albida instar Amygdalarum, vel unguium arcte complectatur, cuiusmodi Ammoniacum vulgo occurrere Murrayus observat (*a*). Nam apud nos non raro advectae in Officinis spectantur massae prorsus albidae, quae solum aetate flavedinem contrahant, quemadmodum vel ipsa iam seiuncta grana, quae saepe hic loci occurrunt, sic, ut Ammoniacum a quisquilis raro sit liberandum, pari de caussa flavescentia evadunt, aut nisi ab aere tueantur rufum colorem paullatim induunt. Scimus proinde cur purum, integrum praestantiusque habeatur, quod magis albicat, quodque una halitum odori Opoponacis accedentem emit-

(*a*) Lib. 12. cap. 23. (*b*) Op. cit. Vol. VI, pag. 190.

tit, et saporem eiusmodi exerit, qui dulciculus non sine acritudine amaritiem aliquam in ore, ac faucibus tarde explicet, ob quam nauseosus fiat. Scimus denique perperam Gummi passim vocari, cum gummi resinosum corpus, in quo tamen gummi valde excedit, prorsus sit, tum parem naturam habentium proprietates habeat, ab alcohole aqueo penitus solvatur, imo tritum ab aceto, et vino, cum aqua latescat, aptissimeque cum ovi vitello, bile, mucilagine, ac syrupis subigatur.

1303. Vires autem quod spectat iam neminem latet quanti Ammoniacum, non ea quidem dosi datum, qua valide ducere alvum, et dolores interdum ventris movere queat, aut nimium stimulare, aut calefacere; at ea copia, sive per se detur, sive Saponi, Extractis resolventibus, Amaris, aliisve admixtum remediis, sive cum oxymelle, nunc simplici, nunc ubi maior requiritur vis, cum oxymelle scillitico, qua officere nequeat stomacho, atque alvum apertam servare, vel adstrictam solvere, quanti, inquam, in morbis pectoris pituitosis, aut catarrhalibus fieri soleat, et debeat. Ne enim dicam modo quam optimum remedium cedat in aliorum viscerum congestionibus, obstructionibus, ac tumoribus ore sumptum, et quot morborum generibus opituletur vel per se, vel cum aliis pharmacis in modum emplastri impositum (quoniam alibi erunt hi Ammoniaci usus indicandi) in tussi, raucitate, sputo difficili, aut cohibito, asthmate, dyspnoea, spuria inflammatione

pectoris, ac morante pure in phthisi, quae neque multa stipetur febre, neque careat sputo ob actionem caussarum, quae pulmones inflammatorio stimulo convellunt, et febrim validorem efficiunt. Secus enim sputum potius supprimere, ac febrim exasperare tam facile posset, ac revera non semel potuit improvide tunc adhibitum, ut mirari soleam, in ipsa inflammatione pulmonum sicuti tutum expectorans proponi. Praesertim cum caute etiam in chronicis malis ad incidendam crassam viscidamque pituitam dandum esse observatio monuerit, dum proinde docuit a medio scriptulo ad drachmam remedii vim intra diem vix extendi, ubi vel mucilagine, vel syrupo, vel oxymelle solutum, ac dein aqua stillatitia dilutum paullatim sumitur, vel in forma emulsionis usurpatur, nisi cum simplici aqua stillatitia, unde Lac Ammoniacum in Anglia usitatum, adhuc melius expediat. Etsi enim in aliis morbis Pilularum forma Ammoniacum passim soleat praescribi, sine illa quidem aliena rerum admixtione, quam exhibent Pilulae de Ammoniaco, quando tamen in pectoris affectibus propinatur, liquida forma commodius propinari omnes pene Medici consentiunt Veterum consuetudinem sequuti, qui tussientibus, anhelatoribus, atque orthopnoicis, in quibus crassus, ac tenax humor, sive in bronchiis, sive in stomacho haereret, cum melle delingendum, aut cum succo ptisanae sorbendum Ammoniacum exhibebant.

1304. Neque Ammoniaco melius Myrrhae origo innotescit. Etsi enim Ill. BRUCEUS quaedam tradiderit, quibus eius historia partim illustratur, et Veterum testimoniis fides accessit, non obtulit sane quod Rei herbariae, ac Materiae medicae Cultores sibi pollicebantur, veram scilicet, absolutamque arboris ad Mimosae genus forte pertinentis descriptionem, e qua gummeus parum resinae, atque olei aetherei habens, myrrhinus succus incisione nunc ramorum, nunc trunci, extillat. Qui quidem concrescens colore, puritate, aliisve notis, pro vario, quo erumpit, aut colligitur modo, dissimilis, alia gummi bruni specie in Abyssinia (qua regione collecta Myrrha Arabicae praestat) plerumque adulteratus, sicuti in Europa gummis aliis passim corrumpitur, quando in glebas, aut minora frustula ex rubro fusca, vel ex rubro flavicantia, subpellucida, interdum albidis interius veluti unguibus notata, fragilia concretus aromaticum odorem grate fragrantem emittat, ac sapore donetur non parum amaro, ac mediocriter acri, lacteam, dum conficitur, salivam reddat, et pravum, si qui adfuerit, oris halitum antiseptica sua virtute emendet, ae dum comburitur non ingratum praestet suffitum, probae notae censetur.

1305. Quo ad vires, eas utique sat manifestas, ac validas exerit Myrrha, unde a Veteribus iampridem magni habita post varias vicissitudines nostra iterum aetate pristinum fere pretium quorundam Medicorum

studio, ac praesertim Celeb. SIMMONSII, SAUNDERSII, et REIDII assequuta est, qui non eam ideo cum plerisque laudant, quod in morbis pectoris a pituitosa colluvie, stimuli defectu, inertia solidarum partium, et laxitate, quibus etiam accedat vis stomachi fracta, resolvens, atque exstimulans medicamentum sputo movendo par elargiatur; sed quod aliis in casibus eximiam opem afferat. Credunt siquidem in lenta hectica febre ex labe pulmonum, in phthisi ulcerosa, in ea quae sanguinis sputo succedit, atque in hecticis aliis febribus ex debilitate virium cum acri calore coniunctis, vel a resorpto pure natis, Myrrham insigne auxilium suppeditare: quod quidem quantum habeat veritatis ipsi viderint.

1306. Equidem iisdem nequeo assentiri etiam si intra eos fines usus Myrrhae intercludatur, quos visi sunt praefinire Ill. Viri REIDIUS, et FRITZIUS, dum ille iis hecticis, in quibus morbus adolevit, aut inflammatio subest, alienam Myrrham reputans, in reliquis casibus hectices, ubi stomachi imbecillitas, aut totius corporis infirmitas praesto est, convenire tradit; alter vero suppuratis sine tussi, sine ulla praesente inflammatione, et sine sanguinis sputo prodesse perhibet. Nam quod docet CULLENIUS, qui inutilem, ac saepe nocuam Myrrham hecticis, et phthisicis observavit, cur non admittam verum plane esse, apud nos saltem, cum nemini viderim phthisi, aut hectica laboranti profuisse? Vidi quidem

quidem stomacho infirmis, tarde concoquentibus, ac ex nimia cibi ad putrescendum pronitate male habentibus roboranti, atque antiseptica sua proprietate auxilium non exiguum Myrrham praestasse; at ubi macies, tabes, aut lenta febris adessent, vel nimia irritabilitas, aut acer, et iusto maior calor subesset, alienam, et nocuam fuisse animadverti.

1307. Ne vero usum limitari satis credam ab iis cautionibus, quas sapienter protulit FRITZIUS, unde stadio suppurationis phthisicis conducere concludat, etiamsi negligam, quod observat apposite MURRAYUS plerumque admixtam dedisse decocto Lichenis islandici, cui verisimilius, utpote probatissimo remedio, emolumentum tribues, me admonent, quae in hoc quoque rerum statu acciderunt. Ex ea siquidem nec liberaliter caeterum, nec diu data molestus caloris sensus stomacho illatus, concitatus cordis arteriarumque motus, febricula exasperata, anxietas, calor cutim mordicans, tussis, quae nulla erat, insurgens: phaenomena fuere, quae satis inuebant eam Myrrhae indolem esse, qua tabidis, et phthisicis, nisi a pituita, laxitate, et defeciente stimulo aegritudo sit, generatim aliena evadat, imo saepius noceat.

1308. Quam ob rem ob tantam stimulandi, ac calefaciendi vim, quae ad urinae quoque vias, proximasque partes se extendit, ut alio dicam, facile evenit, ut pituitosis affectibus, humore resoluto, discusso, ac per

sputum educto, dum subvenit, raro nullam suscitet molestiam quando etiam a decem granis ad scriptulum unum, vel alterum mucilagine, aut ovi vitello subacta, aut cum syrupo intra diem partite lingitur, aut, quando, Tinctura, vel Essentia omissa, utpote nimis acri, ac proinde neque externis interdum usibus opportuna, ac solutioni cum Aqua calcis raro anteponenda, aut neglectis Elaeosaccharo Myrrhae, Trochiscis, ac Pilulis de Myrrha, forma Extracti aquosi a scriptulo ad drachmam apte diluti usurpatur. Non enim cum quibusdam existimandum est ideo extractum eiusmodi carere acri stimulandi, et calefaciendi potentia, quod resinosis partibus spoliatam Myrrham contineat, quia sive sola aqua, sive liquore nitri fixi, sive addito alcali paratum sit, ob arctum gummi vinculum cum resinosis, aliisque particulis, iam ab aqua calida Myrrha in integrum solvitur.

1309. Ob non dissimilem praeterea agendi rationem Balsama omnia sive nativa, sive arte composita, quae alio loco singillatim expendam, Olea aetherea, de quibus alibi opportunius dicam, atque ex hisce confecta Elaeosacchara olim magni habita, et crebro adhibita in morbis pectoris tamquam Expectorantia, nunc vel nullius, vel rarissimi usus existunt. Etsi enim in pituitosis affectibus queant non sine aliqua utilitate exhiberi; perraro tamen vota explent Medicorum, quia nimium irritant, sensum stomacho imprimunt

acris

acris caloris, qui ad totum etiam corpus se diffundit, sicque aestum pariunt, febrim vel accersunt, vel praesentem augent, unde sputum retardent potius, ac supprimant, quam sollicitent, aut moveant.

1310. Usu tamen ad sputum movendum in adductis casibus, qui resolvendo, ac stimulando idoneum remedium requirunt, adhuc probatur *Sulphur sublimatum*, aut Flos sulphuris (de quo alibi rursus sermo incidet) quoniam non minus vias cutis, quam ipsos pulmones, ubi ad eos etiam per vasa deducatur, afficere est communis fere Medicorum sententia, quae, ut alias evici, observationi plane respondet. Nec minus eodem sulphure *Aquae sulphuratae* probantur, ut proinde hoc etiam fine aegris interdum conducant. Denique in pituitosis pulmonum affectibus, ubi Incidentia, ac una Stimulantia, quin vel calorem excutiant, vel multum saltem evolvant, remedia indicentur, ex *Stybio* praeparata, tum ex *Stybio*, et *Sulphure* composita, ac praesertim *Oxydum Stybii sulphuratum rubrum*, seu Kermes minerale, atque *Oxydum Stybii sulphuratum aurantium*, seu Sulphur auratum Antimonii, quam eximiam facultatem ostendant, ac proinde usu commodissima sint, et cuique notum est, et deinde opportunius indicabo.

1311. Atque haec porro remedia, quae ad Incidentia Expectorantia pertinere postremo dixi, eiusmodi sunt, sicuti indicavi, ut stimulo etiam suo cum sputum expediant

optimo iure referenda quoque sint ad illud genus, quod Expectorantia Stimulantia (§. 1248.) exhibet, quodque nunc expendendum est, ut hoc Caput absolvam. Proprie tamen Therapeutae ad hocce Stimulantium genus sputi movendi caussa propositum illa eadem, quibus caeterum passim Clinici utuntur, ut irritatione, et stimulo tussim excutiant, ac bronchiorum actionem ad eiiciendum determinent, non revocant; at ea tantum, quae halitus forma ore recepta ad fauces, et glottidem stimulum, quem habent, deducunt. Iis sane Therapeutis, qui istud medendi genus multi faciunt, assentitur FOURCROEUS, dum ex illis rebus stimulantibus, atque acribus, quae in vapores, halitusque resolvi possunt, ac resolutae queunt adhuc stimulantes cum aere pulmones subeunte ad glottidem et fauces pervenire, suffimenta petita animadvertit ob nervos narium, atque oris, ac speciatim pharyngis, et superioris partis laryngis irritatos dum convulsivo diaphragmatis motu aerem ebronchiis excutiunt, humores simul istis, ac vesiculis haerentes necessario excutere, ac foras eiiciere debere (*a*).

1312. Hoc igitur modo vapore, halituque, quem suffimenti instar adhibita, nonnulla remedia ad glottidem, proximasque partes deducunt, tussim concitatam ex tenaci

(*a*) Op. cit. vol. II. pag. 208. et seq.

ac viscoso humore pectore oppressis, atque asthmaticis, auxilio esse, quae secus febre, aestu, et dolore detentis, atque exsuccis, et sanguineis pessime noceret, dum rursus idem observat FOURKROEUS, dein singula enumerat, quae tussi excussa possunt in halitus resoluta exscreationem apte invitare. Ex iisdem praecipua sunt, alias a Medicis probata, Sulphur, Ammoniaca, Acetum, Bitumina, Resinae, Gummi resinae, ac speciatim Benzoe, et Thus, ac denique Balsama, quae quidem postrema ille Auctor, ubi maiori copia ad suffimentum reciperentur, quam olim fieri consueverit, in pulmonum ulceribus magis reliquis profutura arbitratur, quia ab eorum vaporibus non minus antiseptici, quam roborantis medicamenti effectus sibi pollicetur.

1313. Utinam vero tantum emolumentum sive illa, sive haec, sive alia ex gasticis fluidis inspiratis desumpta praesidia pectore laborantibus afferrent! In eorum sane usu non ita spe excidissent Medici, ut vix unquam ad eum confugiendum esse monerent. Sunt mihi quidem comperta vel recentia curationum exempla, quas suffimenta alibi indicata (§. 87., et seq.) in pituitosa phthisi adhibita interdum iuvarunt; suntque etiam propria observatione perspecta commoda, quae anthelatoribus, atque asthmaticis, quorum pulmones laxi, mucosave colluvie obsiti stimulo indigebant, qui calorem, et motum intenderet, Vitalis aer subinde inspiratus at-

tulit (§. 96.); at raro hoc medendi genus, etiam quando indicatum videtur, prodesse solet, contra vero tam saepe nocere, ut forte prudentiae laudem mereri videantur, qui aegrorum curationes aliis perpetuo malunt remediis committere, quam tam ancipiti auxilio credere.

CAPUT IV.

De iis, quae vomitum movent.

1314. Quae vim habent naturalem fibrarum ventriculi motum ita invertendi, ut quae in eo haerent, aut in eum ab innexis partibus, vicinisque visceribus veniunt, ac consueto actionum ordine inferius protrusa descendunt, per os expellantur, seu quae vomitum faciunt, Emetica, aut Vomitoria dicuntur. Quae nimirum ea excitata spastica, ut dicunt, contractione, aut convulsione, quae oesophagum, aut pharyngem potissimum afficiens nauseam, seu irritum vomitionis nisum solummodo concitare solet ad ventriculum deducta, in eoque validius agente, aut in eo primitus illata promptam, validam, atque iteratam reiectionem eorum curant, quae hoc viscere continentur, non possunt validis inter vomendum conatibus non alios humores ad ipsum allicere, atque iam avocatos superius una dispellere. Et re quidem vera quos humores ad ventriculum vomitu confluere ex duodeno, ex proxima huic ieiuni intestini parte, ex ipsa fellea vesica, atque iecinore per biliarios ductus, qui susceptum humorem in duodenum deferant ulterius promovendum, deducunt Physiologi a communicatione partium, a continuitate fi-

brarum, a nervorum ratione, atque a caussis vomitum facientibus, aut adiuvantibus, certo, ac luculenter evincunt Therapeutae tum ex natura, et copia eorum, quae vomitione eiiciuntur, tum ex phaenomenis, quae ex ea praesto sunt.

1315. Indoles porro humorum vomitione erumpentium, et copia, modus, ac tempus, quo erumpunt, satis declarant, non solum eius actione praeter materiem cuiuscumque generis ventriculo contentam, liquores, qui oesophagum, et fauces alluunt, abunde expressos, sive confestim prodeant, sive priusquam reiiciantur in ventriculum descendant, foras una propelli, atque eiici lympham, bilem, aliosque humores, qui in duodeno ante vomitum aderant; verum etiam saepe, iteratis praesertim protractae vomitionis motibus, et novam bilem ex iecure, ac maxime e vesicula expressam, atque ad consuetum locum deductam per os egeri, atque ex aliis etiam magis dissitis partibus tardos, lentos, viscosos, corruptosque, aut supervacaneos liquores cum sanis plus, minusve ad stomachum derivatos eadem via extra corpus excuti. Quae quidem ad stomachum humorum affluentia eo maior est, proindeque uberior ei succedens reiectio, quo ad vomitum faciendum adhibita mechanicis potissimum viribus, motibusque, consensus lege, et nexu conspirantes partes, vel plures, vel efficacius percellunt, ac commovent.

1316. Eiusmodi quippe actionis, aut ir-

ritationis propagatio mihi sufficere videtur ad caussam assequendam, ob quam vix exinanito ope vomitorii medicamenti ventriculo nova iterum materies reiectioni apta saepe superveniat, atque in eum effusa, protinus renovato inverso motu fibrarum, utiliter excutiatur, quin necesse sit cum quibusdam eam affluentiam humorum, quae vomitionem instauret, deducere ex singularibus mutationibus, quas assumpti remedii particulae in sanguinem abreptae intulerint. Nam, praeterquamquod eiusmodi derivatio humorum interdum tam prompte post expeditissimam a vomitu primitius inductam ventriculi exinanitionem contingit, ut tempus defuerit particulis medicamenti idoneum sanguinis viis permeandis, aut saltem generali, validaeque mutationi corpori praestandae, eadem non raro affluentia animadvertitur ab iis etiam usurpatis remediis, quae, (etsi admittimus eorum, quae vomitum cient quaedam in sanguinem usque meare) ultra primas vias non deferri, aut in ipsis omnem saltem suam efficacitatem insumere videntur.

1317. Ad vomitum autem movendum quomodo quaedam res, et medicamenta valeant plerisque explicatu difficillimum habetur. Quamobrem nonnulli horum remediorum agendi rationem se prorsus ignorare fatentur, quidam ad singularem analogiam ventriculum inter, et remedia, vel ad specificam horum facultatem confugiunt, alii demum hypotheses confingunt, quae vel rationi, vel experimen-

tis repugnant. Profecto in quacumque hypothesi explicatu valde difficile perpetuo erit quî fiat, ut sub valida ventriculi contractione, a quocumque stimulo profecta, naturalis motus antiperistalticus ventriculi, qui licet impediat ne assidue, ac confestim a stomacho contenta ad intestina propellantur, nunquam tamen, donec omnia fiunt secundum naturam, utpote peristaltico debilior, prohibet ne inferius illa deiiciantur, quî, inquam, fiat, ut motus hic validior altero, caeterum maiori, evadat, quin iste ab eiusdem stimuli potentia simul intendatur.

1318. Phaenomenon rursus solutu difficilius reddidere qui experimentis innixi contenderunt, proximam vomitus caussam nec in diaphragmatis convulsione, nec in valida musculorum abdominalium constrictione ventriculum urgente, atque inferius eiusdem ostium coarctante reponendam, at in ipso ventriculo collocandam ita esse, ut is, licet diaphragmatis, musculorumque motu adiuvetur, sine eo tamen queat contenta vomitu dispellere. Quamquam autem huic sententiae alii repugnaverint, ac quae ex suis deduxit periculis in canibus pariter institutis Ill. Aiktonus eiusmodi sint, quae compressione indigere ventriculum significent, ut contenta revomat; non eo tamen res mihi perducta videtur, ut perspicua, ac certa adhuc huius actionis ratio reddi possit. Nam, ut mittam ab iis, qui in eiusmodi investigationis genere versati sunt, nimis fuisse neglectum id, quod

observatione dignum mutatus visceris positus, aut directionis dissimilitudo, aut conspirans oesophagi convulsio, aliaque reddunt, iusto pauciora sunt experimenta utrinque suscepta ad tantam rem constituendam.

1319. Sed quid moror in hac re, quam, ne factis iam experimentis dirimere nunc studeam, instituti ratio vetat, quae circa remedia vomitui movendo idonea, eorum indicationes, usus, atque effectus tota debet versari? Hoc quidem quaestionis genere, quod nos parum, aut nihil afficiens alii opportunius exequentur, omisso, aliud potius obiter attinguam, de quo magnopere inter se Therapeutae solent disputare. Volunt enim nonnulli in quibusdam usitatis ad vomitum ciendum remediis specificam prorsus facultatem, aut actionem agnoscendam esse, id acriter negantibus aliis, qui duo, quae veluti praecipua ac tuta fundamenta opinionis illi iniiciunt, infirma arbitrantur. Nam quod ponunt primo loco quaedam Emetica in apertas animalium venas instillata ventriculum protinus subvertere, nihil probare existimant, quia alia bene multa medicamenta, sive acria, sive blanda vomitui concitando, si ore sumerentur, prorsus imparia, simili pacto intromissa eum pariter concitarunt: quemadmodum in ipso Homine simili periclitationi exposito evenire visum est (§. 601.).

1320. Alterum vero, quod in medium attulerunt, nimirum Tartarum emeticum, aut Ipecacuanhae radicem nec cutim, nec linguam

afficere, sive ille, sive haec admoveatur, dum interim ventriculi fibrae utriusque vim ita sentiunt, ut inverso protinus earum motu vomitum cieant, non pluris faciendum esse credunt. Id enim solummodo ostendere putant pro diversa partium fabrica ita modificatam sensilitatis, atque irritabilitatis vim a natura fuisse, ut fibrae non uno ubique stimuli generi obtemperent. Cum praeterea animadvertant dissimilitudinem rerum, quae ad vomitum concitandum valent, potentiam, quam ad eum pariter excutiendum habent quidam motus ab animo, et corpore profecti, ac medicamenta demum vomitoria natura, origine, ac necessariis proprietatibus tam varia esse, nullum specificum emeticum nobis suppetere decernunt. Maxime vero quia observant, quae vulgo specifica censentur, mutata praeparandi, exhibendique ratione, aut dosi, alvum loco vomitionis movere, aut urinas invitare, aut sudorem elicere.

1321. Verum quae tanta esse queat de hac re disputatio ego quidem non video. Sive enim uno, sive altero, sive nullo etiam in sensu specifica Emetica Medicinae suppetere quis dicat; non poterit tamen mecum non admittere quaedam nobis paratissima esse, quae facilius et certius reliquis ad idem etiam genus relatis ventriculi motum invertant, atque ad vomendum adducant, imo recte adhibita vix unquam fallant. Id sane tutissime affirmandum esse cuique videbitur, quorundam remediorum actione spectata. Nec porro ab-

solute requiritur, ut, quae ventriculi fibris admoventur, natura acria, ac proprie stimulantia sint. Sufficit enim interdum, ut pondere suo, aut distentione, quam efficiunt, eam afferant visceri mutationem, quae ad vomitum ciendum valeat. Potus aquosi tepidi certa copia ingesti, ac cibi mitissimae caeterum indolis largiter assumpti, quae duo vomitum interdum movent, id luculenter ostendunt.

1322 Nec pariter necesse est ad vomitionem efficiendam, ut vomendi proxima caussa in actum deducatur a contentis in ipso ventriculo. Saepe enim passio singularis cerebri, nervorumque in communi sensorio, aut in nerveis propaginibus excitata, et mira prorsus consensus lege ad ventriculum usque deducta huius fibras ea ratione afficit, ex qua vomitus sequatur. Non alio siquidem modo vomitum ciere videntur ingrata idea, et memoria remediorum, quae alias fastidium, vomitumque concitarunt; nauseosa quaedam naribus admota, aut linguae solummodo imposita; rotatio obiectorum, aut corporis, vertigo, velox gestatio in rheda, aut navigatio; atque alia demum quae persequi nimium esset. A consensu denique inter ventriculum, et proximas partes, quem nervi efficiunt, vomitum proritari perspicue declarant diaphragmatis, et reliquorum musculorum respirationi famulantium, atque iecinoris morbosae affectiones, quas vomitus comitatur, calculi renibus, ureteribusque impacti, ac faucium digito, aut penna in gulam demissa

irritationes, quae interdum per se vomitum, si praesertim turgeat materies, aut consuetudo coeperit reiciendi, facile movent. Ergo illa omnia, quae stomachi fibras ea ratione afficiunt, ut earum motus invertatur, Emetica evadent utcumque passio carneis fibris proxime inferatur ab assumptis, vel remote a nervis.

1323. Sed iam exequar, quae utiliora sunt orsus ab iis, quae cum generatim significent copia, vel qualitate alienam, aut iam nocuam materiem in ventriculo adesse, indicant quoque vomitione, quae eam prompte atque utiliter per os dispellat, corpus indigere, sive praeservationis, sive curationis caussa. Ad secundae enim valetudinis praesidia raro admissum, quando nimirum eo opus sit, susceptumque iis servatis, quae maxime Celsus tradidit, vomitum quoque pertinere, quatenus futuras quasdam aegritudines arcet, alibi sic ostendi (§. 496. 497.), ut modo de eius usu ad tuendam salutem nulla iterum dicendi occasio sit. In adversa autem valetudine, spectatis sive acutarum, sive chronicarum passionum naturis, et caussis, cuique forte videbitur vomitus plerumque ad eas discutiendas per se impar futurus, quoniam raro vel una, vel praecipua, vel omnis morbi, praesertim iam evoluti, caussa in stomacho consistit, vel in eo tantummodo adest, quando curatio suscipitur. Nihilominus etiam quando radicitus nequit morbo idem vomitus mederi, eum partim tollendo, vel plurimum

mitigando, vel ad tutiorem, promptioremque exitum disponendo, a gravi hoc aegritudinis effectu stomacho liberato, tam saepe par, tamque idoneus existit, ut idem exinanitionis genus ad potiora, efficacioraque Artis auxilia pertineat.

1324. Ab eius quidem effectibus pronum erit cuique assequi, et quot morbis, et quibus potissimum de caussis vomitus rite, prudenterque admissus opituletur. Facile quippe est intelligere ab exinanitione ventriculi, ac duodeni quomodo morbis generatim, quos haerens in iisdem humorum, sordium, recrementorumque colluvies intulit, aut fovet, insignem opem afferat; ab aucta secretione liquorum oesophagi, ventriculi, atque iecuris, a cysticae bilis exitu promoto, atque a compressione viscerum abdominalium quî siccitati oris, bilis defectui, obstructionibus, atque ictero saepe medeatur; ab incitata ventriculi, intestinorumque, praesertim tenuium actione, cur deletum ex defectu stimuli ciborum desiderium restituat, atque ex languido motu retardatam expediat alimentorum propulsionem, ac coctionem; a mechanico convulsivo motu ad pectus propagato, quomodo bronchia a mucoso, tenaci, aut superfluo humore liberet, ac pituitosis praesertim affectibus conducat; atque ab excussis totius corporis viribus, ab expedito sanguinis circuitu, a nervorum conditione mutata, a cutis exspiratione, etiam ad sudorem quandoque promota, atque a vi resorbentium vasculorum in-

universum aucta, languidis, paralyticis, chloroticis, cacochymis, cutis morbis detentis, rheumatica non inflammatoria aegritudine, et pituitosis potissimum malis laborantibus, ac spasticis aliarum partium passionibus obnoxiis quanam ratione opituletur; tum denique affluentia humorum ad stomachum facta quomodo eorum impetum a reliquis locis revellat in non paucis casibus utilissime, proindeque intestinorum, aliorumque viscerum multiplices affectiones levet, ac solvat.

1325. Quare ne tam insigni, et tam saepe opportuno Artis beneficio careant unquam aegri quando eorum rationibus conducere posset, iuvabit nulla eorum Medicum fugere quae morbi investigationem instituens eum possunt monere vomitum utilem, aut necessarium futurum. Quae quidem signa opportunitatem vomitionis praemonstrantia, etsi per se, aut singillatim sumpta, ut plurimum ambigua, ac vana esse queant, imo quaedam eorum simul conspirantia suis revera exceptionibus obnoxia quandoque sint; generatim tamen non desiderantur, quae plerumque coniecturae respondent, imo vix unquam errandi metum relinquunt. Sunt eiusmodi oris amarities mucoso etiam, aut quovis alieni saporis sensu intermixta, pravus, foetidusque halitus, linguae ex albido, aut luteo humore sorditudo, amissum ciborum desiderium, imo eorum fastidium, et nausea, qua subinde viscosus, aut tenuis liquor intra os affluit. Sunt deinde anxietas, atque irrequies, quidam ponderis,

vel repletionis, vel erosionis sensus in stomacho praesertim post cibum assumptum, quem excipiunt capitis dolor, interdum vertigo, totius corporis lassitudo, ac ructus nidorosi, et acidi, vel leves praecordiorum obscurique dolores, qui subinde ad epygastrium recurrunt, aut ad stomachum delati cardialgiam suscitant. Sunt item praegressi in cibo, quo ad indolem, et copiam, graves errores, qui crassa, viscosa, putridave materie gravatum ventriculum declarent, indicia acrium rerum, et venenorum in eo adhuc haerentium, ac spontaneae, et faciles vomitiones, aut nisus saltem vomendi, qui neque a capitis gravioribus laesionibus, neque a ventriculi vicinarumque partium inflammatione, tumore, schyrro, aut cancro, neque a calculo, neque ab aliis morbis ope consensus suscitentur.

1326. Accedunt quoque istis alvi fluxus, et cognita morbi caussa, indoles, atque epidemica constitutio, quae speciatim duo indicantia Medicorum observationem postulant. Novimus quippe in febribus continuis, et morbis, quae a gastrica et biliosa caussa pendent, nullum emetico praesentius auxilium mature datum suppetere, sive ad eam educendam, sive ad morbi impetum protinus infringendum, sive ad praecavendum, ne in peius conversa aegritudo, aut febris, etiam putrida, maligna, aut nervosa, ut loquuntur, evadat. Scimus quoque febres, quae intermittunt, ubi a primarum viarum sordibus originem ducunt, solo interdum emetico submo-

veri quod caussis aliis praesentibus raro prodest, imo saepe eam cxasperat. Nec ignoramus quos usus Emetica habeant in morbis oculorum, faucium, et gutturis catarrhalibus, aut epidemicis, atque in aliis affectibus, quos specialis Therapeutice recenset. Demum credimus in alvi fluxibus vomitoria remedia, non solum quando gastrica caussa praesto sit, proficua evadere, quatenus morbosam materiem, quam per os non omnem educere possunt, alvo dein mota inferius expellant, verum etiam quando ad diarrhoeam, aut dysenteriam sistendam oportet curare, ut motus antiperistalticus contrario nimium incitato apte resistat.

1327. Sicuti vero Ars invenit quibusdam morbis succurrere iisdem Emeticis ea exigua copia datis, qua et subinde exhibita, et diu continuata nequeant vomitum ciere; ita nova addita sunt genera morborum, ad quae Therapeutae usum vomitoriorum medicaminum eo modo institutum extendunt. Proponunt nimirum hoc medendi genus in asthmate eonvulsivo, in variarum partium haemorrhagiis, atque in aliis casibus, quos nulla etiam gastrica caussa intulerit, aut foveat, nullave subsit, quae a pituita, aut a suppresso, vel difficili sputo nascatur. Verum cum istis in casibus videantur quibusdam non omnia, licet valida ad vomitum movendum sint, parem efficacitatem ostendere, neque haec utiliora communi, aut uno modo agere; ad singulares potius remediorum, quibus vomi-

mi-

mitum excutimur, effectus, deinceps proponendos, quam ad communes referri solent.

1327. Potius igitur nunc dicam quibus in morbis, quibusque aegris generatim iuxta Therapeutas vetitum sit Emetica, utpote aliena, nocua, ac summe periculosa praebere, obiter etiam exceptionibus indicatis, quibus eorum generalia praecepta obnoxia esse nuperiores Clinici tradiderunt. Porro utrique fatentur Emetica herniosis, valde obesis, thorace, collo et capite male conformatis, induratas tonsillas habentibus ex vera debilitate admodum infirmis, animi deliquio obnoxiis, ad apoplexiam, aliosque capitis, et pectoris graviores sanguineos affectus dispositis, inflammatione, tumore, atque ulcere primarum viarum detentis, ac pertinaciter occlusa alvo laborantibus non convenire. Dissentiunt vero quo ad caeteras exceptiones usum Emeticorum limitantes a Therapeutis propositas quidam Clinicorum. Nam dum illi sanguinis sputo obnoxiis, haemorrhagiis assuetis, aut detentis, phthisicis, hypochondriacis, hystericis, languidis, exquisita sensilitate praeditis, apoplexia quacumque correptis, gravidis, ac puerperis docent interdicenda perpetuo Vomitoria medicamenta esse, ne gravis secus noxa, ipsumque vitae periculum, imo mors etiam sequatur, docent sane, quod non omnibus acceptum hodie esse solet.

1328. Enim vero Emeticorum usum quod spectat in haemophthisi, eum ideo isti non improbant, quia Ill. Robinsonius in hoc

morbi genere tuto, atque utiliter cum pluries instituerit, atque alii deinceps aeque felici eventu eodem usi sint, ex eo fortasse quod sanguinis pulmones subeuntis affluentia aliorsum vomitu derivetur, vel ab ipsa convulsione, et nausea, quae vomitionem antecedunt, inducta mininimorum vasorum constrictio fluentem antea ex eorum extremis sanguinem cohibeat. Verum cum in haemophthisi, licet vomitus interdum utiliter excussus fuerit, interdum tamen, testante CULLENIO, hemorrhagiam adeo auxerit, ut in angusto res adducta esset, rectius eos agere existimo, qui nunquam in hoc morbo Emetica propinant, vel saltem adhibent ea ratione, qua, quin ullam reiectionem, aut nimium eius nisum inducant, ad aliarum partium cruentos fluxus sistendos nunc solent praescribi. Pedetentim siquidem et minima dosi quavis vice exhibita Vomitoria medicamenta narium, ac praesertim uteri haemorrhagias cohibere tum alii viderunt, tum ipse saepe observavi, qui proinde istud auxilium non exiguum existimo. Quin imo praeterire non possum emolumentum insigne, quod bis mihi praestitit vomitus ipse in uteri haemorrhagia, quae copiosa, et nullis obtemperans Artis auxiliis vitae duarum Mulierum minitabatur. Fluxum enim cruentum cum a copiosa, et prava gastrica primarum viarum colluvie ortam cognovissem, hac vomitu excussa, protinus eam cohibui.

1330. In phthisi vero quominus Emeticorum usus prorsus excludatur monent pari-

ter observationes, dum declararunt initio morbi ad resolvendam pulmonum obstructionem, atque alias ad ipsam aegritudinem a pituita, et pulmonum flacciditate natam discutiendam, aut leniendam valuisse prudenter adhibitam, atque apte iteratam vomitionem. Quare istis in casibus hoc remedium, quod secus aliis existentibus phthisis caussis, aut conditionibus noceret, excludi non posse arbitror, etsi cum CULLENIO credam per se, licet saepe tentatum, ad phthisim curandam nunquam sufficere. Aliis quippe auxiliis diuturnum reddere oportet parum durabile commodum, quod vomitus praestat.

1331. Circa usum praeterea vomitionum eo fine susceptum, ut abscessus in gutture, aut pulmone disrumpantur Clinici dispiciant, num sit cum GREGORYO existimandum alienum, ac nimis periculosum esse, ut debeat a prudenti etiam Artifice institui. Vomitionibus in tam ancipiti rerum statu ille Auctor non favet; „non quia (*a*), inquit, dubium sit „eas id saepe effecturas, aut incredibile idem „cum felici eventu interdum fuisse effectum; „sed quia rarissima sint exempla, ubi tali „opus est auxilio, et rariora adhuc, in qui„bus remedium adeo asperum, et periculosum „experiri aut convenit, aut licet; nimirum „quod non modo abscessum, qua non opor„tet, rumpere posset, sed aegrum forte, prae„sertim debiliorem, statim suffocare.

(*a*) Op. cit. n. 1393.

1332. Potius igitur Therapeutis obsisterem, quando hypochondriacis, hystericis, et languidis vomitiones nunquam idoneas esse decernunt. Horum enim conditio eas quidem et raras, et lenibus tantum tentatas auxiliis postulat; non autem prorsus alienas, et perpetuo noxias declarat. Nam cum ad pertinaciores hypochondriacas, atque hystericas passiones vincendas saepe oporteat totum pene corpus concutere, quo eius conditio vel a morbo illata, vel eum fovens repente mutetur, sicuti vomitu plerumque evenit; ratio elucescit, cur vomitus prudenter admissus conveniat, atque eo fine a me quandoque usurpatus auspicato cesserit. Cum praeterea languor virium non minus interdum pendeat a quodam solidarum partium torpore, atque inertia, quam a stomachi, ob copiam sive mucosi supervacanei, sive pravi, acris, corruptique humoris onere, aut infirmitate, caussa pariter enitet utilitatis non exiguae quam non raro vomitione excitata languidis, atque ex imbecillitate irritabilioribus attuli.

1333. Nimium etiam videtur apoplexia ex quacumque caussa oppressis alienum, plenumque semper discriminis vomitum arte elicitum iudicare. Nam ratio, atque experientia satis declarant istud medendi genus, quod in apoplexia, paralysi, sopore, aut lethargo aegrum facile occideret, cui ex sanguinis copia, eiusque excessu intra cerebri, et capitis vasa laboranti oblatum esset, indicari,

ac prodesse, ubi ista neque adsint, neque metui reapse possint, ipse vero morbus a serosa colluvie, a pituita, ac praesertim a nimia alimentorum crudam, ac duram indolem habentium, quae adhuc stomachum onerent, ingurgitatione, vel ab acribus, et venenatis rebus, quae in eo adhuc haereant, caussam agnoscat. Ergo ex adductis capitis morbis omnimoda ab Emeticis abstinentia non recte quidem deducitur. at verius difficultas eruitur, quae non levis est, casus rite distinguendi, qui eorum usum vel desiderent, vel permittant, vel contra absolute prohibeant, ne secus vomitu, aut improvide tentato, aut negligenter omisso, ab Artificis errore infirmus insigne detrimentum capiat. Est enim medendi genus, quod, spectata dissimilitudine caussarum, aegrum vel occidit, vel liberat.

1334. Gravidas vero Mulieres, Puerperasque quod spectat, qui nunquam vomitioni subiiciendas esse severe praecipiunt, num gravius errent iis, qui indiscriminatim, ubi primarum viarum exinanitio indicatur, eas ad vomendum remediis alliciunt, alii dispiciant. Mihi enim satis est novisse neutros rationalem medendi rationem sequi. Nam ad Gravidas, quod attinet, qui nunquam vomitionem permittunt ignorare videntur, quando omnia praesto sint, quae eam exigant, revera convenire, et leniter motam sine ullo abortionis, aut alterius mali periculo saepe insigniter profuisse. Qui vero vomitum, quem aliquando innoxie concitarunt, item perpetuo moliuntur

nullum inde arbitrati discrimen subesse, quia frequenter Mulieres primis graviditatis mensibus crebro, et quidem non semel in die vomunt, quin abortum patiantur; non videntur sat firmo fundamento innixi, quod vix insolens non est, veluti perpetuum tradere. Quid enim tuto poterit deduci ex vomitu, cui Gravidae ob singularem nervorum passionem potius, ut quidam putant, quam ob compressionem, aut mutatam ventriculi directionem, ut docent alii, saepe obnoxiae sunt? Nonne compertum est humanum corpus quosdam motus insolitos, interdum vehementes, ac diutinos a sola actione suarum virium ortos impune plerumque sustinere, quos arte excitatos sine damno perpeti non posset? Qui sane vomitus a navigatione in nonnullis, ei praesertim inassuetis, excitatur, utut vehementissimus sit, diu perduret, et gravia mala minitari videatur; est tamen perpetuo, ut iam monui (§. 448.) citra omne discrimen. At quis unquam ex hac observatione putaverit arte promotam tam vehementem, tamque diuturnam vomitionem sive sano, sive aegro innoxiam, ac proficuam futuram?

1335. Ergo inutili, ac fallacissimo hocce argumentationis genere nunquam usus inter diversas sententias mediam equidem sequutus sum, quae vomitum non excludit, ubi nullus sit abortionis metus, materies ventriculum obsidens turgeat, signa vomitionem indicantia satis manifesta sint, non aegre ad vomendum Mulier adduci possit, alias abortum ex hac,

vel alia corporis commotione passa non fuerit, ac gastrica, putridave aegritudo praesto sit, aut immineat. Hisce quippe regulis servatis tutissimum mihi hactenus fuit Gravidas vomitioni caute incitatae, ubi oportebat, subiicere, quin ullum inde damnum perciperent, aut earum funestam sortem dolerent, quae ex temeraria medicina foetum, ac saepe cum eo vitam perdiderant.

1336. Idem pariter iudicium interponendum esse videtur inter dissentientes opiniones, quae Emeticorum usum in Puerperis respiciunt. Quando nimirum recrementorum sarcina onustus sit stomachus, tenuia intestina bile turgeant, atque una presertim excutiendae sint corporis vires, ac gastrica, biliosa, putridave febris instet, aut coeperit, non vetat Puerperium usum auxilii, quod caetera omnia utile, ac necessarium declarant. Quamobrem Puerperis in hoc rerum statu versantibus quoties Emeticis medicinam feci; (pluribus autem hic loci quovis anno feci) toties omne, quod sperare licebat, emolumentum iisdem attuli sine ulla unquam noxa, sive lochia fluerent, sive nimium ob gastrici morbi vim erumperent, sive maturius, quam par erat, substitissent.

1337. Latius itaque patet Emeticorum usus, quam in generali Therapeutice tradi non multo pridem consueverit. Quod interim cum dico, nemo, quaeso, credat velim, me in eorum numero esse, qui nullum pene morbum curare aggrediuntur, quin medicamentis vo-

mitum moveant, nec tantum, ubi aegritudinis genus huic exinanitioni faveat, semel, aut iterum, sed ter, quaterve curationis tempore eum excutiunt, nec levibus quidem rebus adhibitis, sed iis quae stomachum infestant. Nam quemadmodum alias non plus, quam oportebat, vomitionibus tribui in secunda valetudine admissis (§. 495.); ita modo iisdem in adversa non plus concedo, quam morborum, aegrorumque rationes sibi vindicent. Maxime qui cum Cullenio probe noverim, vomitionem crebro susceptam robur stomachi adeo enervare, ut nesciam quomodo suis possint aegris consulere, qui, ut firmitatem huic visceri reddant, eam frequentant; tum cum Haenio viderim eiusmodi medendi rationem, deiectis viribus, ac salutaribus naturae motibus perturbatis, morbosae materiae concoctionem praevertere, utilissimas cryses prohibere, atque expeditam acutarum passionum solutionem retardare.

1338. Quoties autem vomitus movendus videatur, toties expedit quaedam servare, ut omni expers discrimine, utiliorque existat. Oportet primo, si plethora adsit, sanguinem mittere, ne ipse vomitionis impetu nimia copia ad pectus, et cerebrum protrudatur, ibique congestus haemorrhagias, et suffocationem, vel apoplexiam, convulsiones, aliaque teterrima mala suscitet. Iuvat praeterea non raro ventriculum difficiliter vomentem lenibus stimulis, aut iis, quae nauseam faciunt, irritare, vel commovere. Expedit item con-

tentam ventriculo materiem ita praeparare, antequam emeticum propinetur, ut hoc promptius, ac plenius, imo utilius agat. Quo quidem fine Medici solent humorem, quem in ventriculo haerentem acrem, aut viscosum coniiciunt, diluentibus, tenuantibus, resolventibusque medicamentis, potissimum salinis temperare, resolvere, ac mobilem reddere.

1339 Vomitus autem, qui caeteris paribus, auctore HIPPOCRATE, melius aestate, atque autumno, quam hyeme molitur, qua diei parte utilius, et rectius cieatur, quaesitum iamdiu est inter Medicos, cum alii mane, alii vespere excutiendum esse tradiderint. Hi siquidem cum Hominem noverint facilius vomere pleno, quam vacuo ventriculo, vespere vomitionem proritandam esse duxerunt. Contra primi animadvertentes Emetica post cibum data non parum ab eo in stomacho adhuc haerente obtundi, nec fibras vel omnes, vel tam valide, ut oportet, ab iisdem affici, atque idcirco interdum fallere, aut non satis exinanire, nec corpus ea ratione concutere, ob quam reliqua commoda sentiat, mane vomitum moliendum esse docuerunt. Profecto si vomitionis urgeat necessitas, quovis tempore, dummodo exacerbatio morbi non instet, Emeticum recte datur; dum in caeteris casibus mane, et vacuo stomacho rectius propinari crediderim. Tunc quippe certius agit, ventriculum omnino evacuat, et totum corpus immutat. Quod si aegre vomentem ad hanc exinanitionem disponere conveniat, non qui-

dem cibis, qui vomitorium remedium deinceps ingerendum involvant, aut debilitent, eiusmodi distentio procuranda est, sed apto potu paullo ante largiter hausto.

1340. Haec potiora sunt, quae Emeticorum vires, actiones, atque usus generatim respiciunt; nunc ea veniunt, quae ad vomitum faciendum medicamenta speciatim valent, seu illa, quorum usus utpote tutior, atque utilior, crebrior esse solet. In iisdem vero tradendis auxiliis, quamquam ille ordo a non nullis prae caeteris probaretur, quo Emetica dividuntur in ea, quae evidenti generali stimulo operari censentur, atque in illa, quae non cognita specifica irritatione vomitum concitare verisimile videtur; Nuperiores tamen eum sequi malunt, qui Emetica in lenia, mediocria aut valida, atque in vehementia seiuncta exhibet. Quod quidem divisionis genus ita concipiunt, ut fateantur, mutata exhibendi methodo, ac copia remedii, evenire, ut eius quoque actionis gradus mutetur. Ad prima autem revocant quae nausea excitata vomitioni deditos, aut in eam pronos ad reiciendum alliciunt. Eiusmodi sunt Aqua tepida, et Mulsum; dulcia varia, atque una nauseantia; olea crassa expressione elicita, ac praesertim usitatiora Amygdalarum Dulcium, Seminum lini, atque Olivarum; Butyrum liquatum; iura carnium pinguia, aliaeque animalium pinguedines; ac potus ex Aqua tepida cum pauxillo salis, olei, et mellis confecto, quo Veteres crebro ute-

bantur. Non enim eum tantum hauriebant, qui vomitum, salutis sane caussa, nimis saepe frequentabant (§. 495.); sed ii etiam gulae maxime deditì, qui, ut longo esui, potuique sufficerent, solebant inter coenandum (in secretum tantisper locum recedentes) vomitum provocare hoc etiam modo, ubi iam inserto in gulam digito, aut pinnulae immissae restitisset.

1341. Proxima istis sunt, saltem actionis suae lenitate, infusa, et decocta quarundam Stirpium, in quibus amaricans, et nauseosus sapor inest cum vi leniter stimulante coniunctus, ob quem, nausea inducta, et vellicatis stomachi fibris, per se interdum vomitum in valde propensis suscitant, tum crebrius ipsum adiuvant, qui vel excitandus sit aliis efficacioribus remediis, vel inceptus debeat promoveri. Inter eiusmodi Stirpes praecipuae, aut usitatiores nobis sunt, quae ex Compositis ducuntur (§. 791., et seq.), ac speciatim e *Centaureae*, *Artemisiae*, et *Matricariae*, generibus. Floribus enim, aut herba *Arnicae montanae* (§. 799.) non utimur vomitionis ciendae caussa ob nimiam, nec discrimine expertem vim, qua eadem Arnica eam movet. Potius quibusdam arrident tepide hausta infusa ex floribus *Sambuci nigrae*, aut ex foliis *Theae viridis* (§. 318.) dum negligimus caetera in Medicorum libris, veluti aliqua vomitoria facultate donata, Vegetabilia, nimirum folia *Betonicae officinalis* (§. 845.) radices *Carlinae acaulis* seu Cardopatiae, *Aristolochiae*

serpentariae (§. 805.) aliarumque specierum, atque alia, quae referre non vacat.

1342. Iuvabit idcirco, istis praeteritis, ad ea sermonem convertere, quae valida Emetica dicuntur, quorum alia Vegetabilia sunt, alia Fossilia. Haec tuto, expedite, ac moderate vomitum ciere quibusdam videntur, quamquam singula neque tuta, neque opportuna aeque habenda sint. Nam, ut a prioribus exordiar, quae ex Liliaceis petita *Antherici scillae maritimae* aut Scillae radix inodora, admodum amara, acris, et nauseosa, utpote vomitoria multum Veteribus usitata, nec deinceps parvi facta, quamvis minima dosi, ubi recens, aut paullo maiori, ubi assata, aut farinae pasta involuta, et cocta, vel saccharo, et melli admixta sit, vomitum queat provocare, nauseam movendo, aut irritando; certi, atque innoxii usus Emeticum non praebet. Fallit siquidem saepe, nec patitur certos doseos limites, et viru suo, aut nimia stimulanti qualitate non satis mitigata, nisi cardialgiam, ac convulsiones afferat, stomachum saltem infirmat. Quare apud nos, quorum fibrae sensiliores, irritabilioresque, atque una debiles Stimulantia validiora sine noxa non sustinent, Scillina remedia vomitioni concitandae non inserviunt.

1343. Nec aequiori iure caeterae Stirpes, quae ex Liliaceis duci possent ob vomitoriam qualitatem, aut olim promebantur, nobis inserviunt, qui etiam hoc fine abstinemus ab *Erigero acri* inter officinales stirpes hic non re-

cepto, cuius usum apud quasdam Gentes emeticum indicat CULLENIUS, qui hanc stirpem acriorem tradit, quam Materiae medicae Scriptores tradiderint. Sed, cum in Alpibus, aliisque locis acris non sit, quid mirum si quidam vel nullam, vel exiguam in ea acritudinem admiserint? Caeterum neque utimur sive *Cochlearia armoracea*, sive *Sinapi nigra* ad vomitum ciendum, etsi multis praestare utramque aqua infusam, ac tepide epotam, imo leniter, atque etiam utiliter movere, idem CULLENIUS testetur. Quod quidem monendum erat, ut Medici videant quid commodi habere apud nos queat utrumque remedium sic adhibitum, numve obvium, nec sumptuosum, queat pauperibus utile emeticum suppeditare.

1344 Quamquam nescio, utrum multum interesse possit alterutrum, vel utrumque remedium vomitioni excitandae par invenire, quando nobis in promptu iam est ad eam faciendam aptissimum indigenum auxilium, quod radix *Asari europei* seu Asari, cuius alibi memini (§. 1054.) erogat. Etenim hanc radicem, (quae olim valde usitata ad vomitum incitandum esse consuevit), odoris admodum aromatici, et nauseantis, ac saporis acris, calidi, subamari, nauseosi, et lenissime adstringentis hic loci prorsus exoletam cum duodecim ante annis in aegris adhiberem visurus, num aliquo eius quidem vitio usu plane excidisset, nulli sane obnoxiam reperi, quod usitatioribus Emeticis commune non sit. Quin imo iteratis observationibus didici a granis

granis quindecim ad scriptulum unum, vel ad dimidiam drachmam in pulverem tenuissime comminutam, vel a media drachma ad unam, aut sesquialteram ex vino, aut aqua infusam, vel coctam vase clauso, non minori constantia operari, ac ipsa radix Ipecacuanhae soleat; ne dicam semper citra discrimen, imo sat leniter agere: quod video a CULLENIO confirmari. Ergo non assequor, cur Medici nostrates eius usum prorsus negligant, cum etiamsi necessarius esse nequeat postquam Ipecacuanha inventa est, nunquam tamen opportunum videatur indigena, quae satis valent, deserere.

1345. Profecto qui existimant Asari radice non indigere Medicinam, cum Ipecacuanha ditata sit, cur ob eandem caussam tamquam supervacaneam *Gratiolam officinalem*, seu Gratiolam ab Emeticis, quae in usum veniant, medicamentis non excludunt? Cur eius herbam, et radicem nostris iterum diebus quidam magni adhuc faciunt, et crebro usurpant? Porro concedam lubenter, herbam inodoram, valde amaram, et nauseosam vomitum ciere, ac levi dosi propinatam lentos, et crassos humores resolvendo, ac stimulando hydropicis, obstructione viscerum, ac febri, quae intermittat, detentis quandoque auxilio fuisse; tum dabo radicem, praeter intensam amaritiem, adstrictoria etiam qualitate praeditam habere vim, qua vomitum moveat, ac parva dosi dysentericis, cachexiae, aliisque malis obnoxiis interdum subveniat. In tanta

quippe copia observationum, quas Cl. KOSTERZEWSCHIUS speciatim commemorat (*a*), non denegaverim, Gratiolam adducta mala interdum moderari, interdum sanare. At non inde consequitur, vehemens hocce medicamentum Ipecacuanham, ut contendunt, aemulari, sive huius innocua vis ad vomitum concitandum, sive in agendo constantia spectetur.

1346. Neutrum porro de Gratiola dici posse satis, superque monstrarunt experimenta, quae superioribus annis cum ea pluries a me capta fuerunt. Etenim saepe animadverti Gratiolam, licet eadem vi, eodem modo, eademque existente indicatione, variis aegris exhiberetur, in uno aegro ne vomitum concitasse quidem, in altero nimis vehementer, tum in quibusdam alvum validissime duxisse, atque in aliis hanc cum vomitu potenter provocasse. Observavi pariter, non solum sibi polliceri Medicum nunquam posse ex Gratiola vomitionem certo futuram, quaecumque sit eius dosis, aut quaelibet eius usurpandae forma; verum etiam constituere satis tuto eum nunquam posse, nullam aegro noxam allaturam esse. Etenim visum est, Gratiolam datam non ultra scriptulum in pulvere, nec ultra drachmam in infusu, qua dosi tutissima, ac plane innoxia censetur, interaneis interdum

(*a*) De Virib. Grat. Diss.

offecisse, atque ea mala concitasse, quae liberalius sumpta movet, cardialgiam nimirum, tormina, et nimiam exinanitionem, dum interea vires totius corporis, ac praesertim stomachi infirmat, et salutares naturae motus graviter perturbat. Quam ob rem Gratiolam Ipecacuanhae supparem, ac proinde tutioribus, utilioribusque Emeticis parem virtute atque usu, saltem apud nos, non existimo, etsi caute dosi mox indicata eam dari sine noxa nolim diffiteri, proindeque illi, quoties praesto non sit, substitui.

1347. Cunctis itaque Emeticis e Stirpibus sumptis palmam longe praeripit *Viola Ipecacuanha* seu Ipecacuanha. Venit hoc nomine alibi indicata (§. 954.) radix stirpis in Brasilia, Peruviano regno, Guiana, aliisque Americae meridionalis provinciis ultro crescentis, et perennis, quam quidam ad *Loniceram*, *Euphorbiam*, aliaque plantarum genera vel novissime referunt, dum alii putant ad *Psycothram emeticam* pertinere. Quamquam autem opinionum discrimina orta esse videantur ex eo, quod ex variis Stirpibus radices proveniant, quae emetica virtute, aliisque qualitatibus vulgarem in Officinis nostris receptam radicem referant, atque ex istis ductae sint differentiae Ipecacuanhae, ob quas album, albidissimum, aliumve colorem eadem exhibeat, tum dissimile efficacitatis gradum ostendat; eam tamen, qua hic loci utimur, ad Violae genus plerique referunt. Praesertim qui censent *Violae odoratae* radicem suppeditare

tare, quae vomitum eodem modo cieat: quod non undequaque verum est. Nam si unum, alterumve casum excipiam, in quo ad duas drachmas in pulverem contrita vomitum valide concitavit, generatim fallere observavi. Ea porro radix Ipecacuanhae, aut Ipecacuanhae, de qua dicendum est, superiori proxime elapso saeculo ad exitum tendente in Europam allata, cura potissimum HELVETII, ac susceptis in Gallia experimentis, ad vomitum ciendum, atque ad dysenteriam speciatim sanandam inclaruit. Est vero radix grysea, seu cinerea, cylindrica, pennam anseris crassa, diversimode flexa, rugis transversalibus subannulata, et aspera, quae sub Cortice friabili ligneam in centro habet medullam fili instar secundum longitudinem extensam. Odore pollet leviter gravi, et nauseoso, ac mucido, tum sapore donatur amaricante, qui dum radix dentibus conficitur in cortice subacris, et resinosus, in medulla mucagineus percipitur. Dum praeterea in pulverem teritur volatilibus particulis nares, oculos, et pulmones afficit, atque adeo irritat, ut nisi ab eius stimulo quis sibi caveat, ophtalmiam, sternutamenta, narium haemorrhagiam, anxietatem, anhelitum, aliaque similia facile patiatur.

1348. Constat autem tota haec radix resina, mucilagine, terra, aliisve tenuibus volatilibus particulis; ex quibus principiis, quae Chemica resolutio detexit, singulas eius vires Therapeutae deducunt, atque easdem usu evictas facile explicant. Enim vero a volati-

libus vim antiſpaſticam, a terra copioſa adſtringentem et roborantem, a mucilagine bene multa involventem, atque a reſina inprimis vomitoriam commode derivant. Quare, licet ex Ipecacuanha plus Aqua, quam Alcohol extrahat, Extractum ſpirituoſum ad vomitum faciendum anteponitur Extracto aquoſo, praeſertim cum vulgaris ferat opinio huic nullam, itemque medullae radicis nullam eſſe emeticam facultatem. Verum utrumque dici non poſſe ipſe primus fortaſſe docui iam ſexdecim ante annis oſtendens, ſuſceptis in aegris periculis, Extractum aquoſum ad ſcriptulum dimidium vomitum provocare (quam video obſervationem confirmari a Clariſs. Viris LASSONIO, et CORNETTIO, qui ad ſex etiam grana perpetuo emeticum extitiſſe monent), tum medulloſam radicis partem ſimiliter movere. Haec ſiquidem a Cortice, in quo uno ob reſinam, quam continet, omnis vomitoria facultas deliteſcere credebatur, diligentiſſime ſeiuncta, atque in tenuiſſimum pulverem redacta non ultra ſcriptulum exhibita vomitum conſtanter, atque iterato, imo pluries interdum, concitavit.

1349. Quod quidem obſervationis genus dum profero, non eo animo in medium affero, ut a conſuetudine, quam in comminuenda Ipecacuanhae radice praeſtantiores Medicamentarii artifices ſervant, eos temere removerem, qua ducti a radicis comminutione ceſſant ſimul ac ad ligneam medullam terendo perveniunt. Eam enim retinendam eſſe,

maioris efficacitatis cauſsa, per ſe iam ſatis moneret certa obſervatio omnium conſenſione firmata, qua docemur praecipuam vim emeticam cortici, ac reſinae competere, etiam ſi altera, quae hanc methodum ſervandam iubet, non accederet. Cum enim experientia mihi, aliisque deinde oſtenderit, eo minus facile Ipecacuanham una cum vomitu alvum moliri, atque hanc minus ducere, quo minus mucilaginis habet; evicit quoque ſummopere intereſſe illam regulam ſequi, ne ob copiam mucilaginis ventriculo contenta inferius potius deiiciat, quam ſuperius ore diſpellat, vomitum nec ſatis plene, nec pluries provocet, neve illud amittat privilegium, cuius maxime cauſſa caeteris Vomitoriis medicamentis Ipecacuanha anteponitur, ubi ſcilicet ſtomachum, non alvum ad eiiciendum ſollicitare oportet.

1350. Ad tutiora profecto, atque aptiora Emetica Ipecacuanha iure revocatur, utpote quae exigua doſi adhibita vomitum movet, ac maiori etiam data caret periculo, citra ventriculi, inteſtinorumque noxam operatur, imo poſt iteratas vomitiones alvum ſaepe reſolvit, quin laxando fluentem dein relinquat. Satis quippe ductam adſtrictione ſua cohibere, atque inteſtina firmando ex laxitate ſolutam reprimere cuique notum eſt. Nullum itaque remedium crebrius ad vomitum excutiendum in uſum venit Ipecacuanha, quae cuiusque aegri temperamento, aetati, aliisque proprietatibus ſe accommodat, nec praeſente

febri, observantibus Clinicis, contra indicatur; quoniam toties agit quin calefaciat, aut multam in stomacho irritationem post vomitum excussum relinquat, quoties recte usurpetur.

1351. In hunc finem oportet, ut cito suum edat effectum, nec vomitum nimis protrahat, ea iam assumpta primum parce, dein abunde tepidum potum haurire, quo haerentes in sthomaco eius reliquiae penitus reiiciantur, quae secus retentae novos plane inutiles, et molestos nisus vomendi solent inferre. Quovis praeterea in casu expedit eam apta copia praescribere. Hanc Materiae medicae Scriptores generatim ita definiunt, ut doceant a dimidia drachma ad unam in pulvere, atque a drachma una ad duas in infusu, sive ex Aqua, sive ex vino albo, sive ex utroque liquore, tum in tinctura ex alcohole diluto eandem radicem dandam esse. Verum apud nos supervacaneum est ad vomitum provocandum ad eiusmodi doses adscendere. Nam ubi optimae notae radix sit, non vetusta, non exesa, non male servata, aut corrupta, non albissima, aut albicans; sed grysea, aut fusca, eandem sane in pulvere, dummodo pulvis tenuissimus sit, a granis quindecim, ad viginti, aut ad scriptulum, vel in infusu probe parato, ac clauso in vase, quo igne fugaces partes retineantur, a dimidia drachma ad unam facile, tuto, et certo, atque utiliter vomitionem movere quotidie experimur.

1352. Sunt interim qui alia methodo Ipecacuanhae radicem exhibendam esse prae-

cipiant. Cum enim noverint, pro vario aegrorum discrimine, quosdam occurrere, quibus ad pauca grana interdum sufficit, iubent octodecim, aut viginti eius grana in tres partes divisa ita propinanda esse, ut intra horam, intervallo unius quadrantis intra unam, et alteram vicem, tota dosis insumatur. Verum cum remedium in adultis ad grana octo, aut decem ad vomitum concitandum plerumque non valeat, atque a scriptulo ad dimidiam drachmam, vel ultra noxam nunquam inferat; alienum arbitror hanc rationem sequi, praesertim quod nimis ex ea aegros commoveri, ac moleste affici saepe observaverim. Quare haec Ipecacuanhae exhibendae methodus vix probatur quando pueris, debilibus, ac valde sentientibus praescribitur.

1358. Periti tamen Medici est, eam in quibusdam morbis, quibus apprime Ipecacuanha auxiliatur, vel hoc modo partite offerre, vel interdum longe etiam minori quantitate pedetentim adhibere. Praeter communes enim Emeticorum facultates, et generales usus, alios atque alios habet Ipecacuanha; quae idcirco praestantius remedium evadit. Nam, ut exordiar a dysenteria, cuius mali absolutorium primum habita est haec radix, ubi initio aegritudinis detur, exhibeaturque ea ratione semel, aut iterum, aut tertio, qua vomitum moveat, atque alvum una resolvat, deinde iustis intervallis pedetentim sic offeratur, ut retenta, queat satis suas antisepticas, involventes, roborantes, atque adstringentes facul-

tates in ventriculo, atque intestinis exerere, eam prompte compescere, atque efficaciter sistere passim experior. Quare eos, qui incassum dysenteriam Ipecacuanha se oppugnasse fatentur, vel tradunt exiguis datam dosibus nunquam vincendo profluvio parem fuisse, suspicor expectatione ideo deceptos, quod provecto morbo dederint, aut eo praesente, qui a gastrica, biliosa, putridave caussa originem non duxerat, aut intestinorum fabricam iam laeserat, vel leves remedii dones illico admiserint, quin semel, aut iterum vomitum prius concitassent. Exiguis praeterea dosibus adhibita radix Ipecacuanhae quanti in alvi fluxibus sistendis facienda sit quamplurimae demonstrant diarrhoeae curationes, quas eadem hac ratione usurpata mihi praestitit. Cum enim sive ex praegressa dysenteria, sive ex aliis caussis ob inductam intestinis laxitatem, stomachi infirmitatem, et vitia humorum in primis viis haerentium saepe hic diarrhaea implicatos offenderim, saepe pariter eos solo Ipecacuanhae partite exhibitae beneficio saluti restitui.

1354. Confert quoque mirifice Ipecacuanha exigua quantitate, imo interdum quam minima, exhibita, quae subinde iustis intervallis pluries intra diem iteratur, in febribus, in affectibus convulsivis, spasticisque, atque in cruentis profluviis. Nam febres quod respicit, ne dicam in iis, quae intermittunt, eo etiam modo datam Ipecacuanham, quo duo, vel tria eius grana sumantur quater,

sexies, aut ultra in die, interdum utilem etiam sine vomitu fuisse, imo utiliorem, quo a gastrico magis fomite febris fovebatur, atque huic debilitas, et laxitas accedebant; in continuis gastricis putridisque vis eius hac ratione exhibitae plane eximia luculentissime tunc praesertim mihi innotuit, cum superioribus annis eaedem febres undique apud nos epidemicae grasserentur. Etenim, postquam initio morbi materiem, quae circa ventriculum plerumque turgebat, ope Ipecacuanhae vomitione eduxissem, eam deinde, qua mox dicebam methodo diu propinando, qua nec vomitum concitaret, nec alvum valide duceret (quam subinde clysteriis incitare oportuit) plurimos aegros ab illis febribus, interdum gravioribus, prompte, ac feliciter liberavi, ut alio loco fusius dicam. Modo enim harum curationum sat erat meminisse, ut hic nonminus antisepticam huius radicis facultatem ostenderem consentaneam periculis a COLLINIO, atque a me iam pridem extra corpus humanum susceptis, quam evincerem Ipecacuanham, exiguis licet dosibus detur, adversus gastricas, biliosas, putridas, malignasque febres summam virtutem habere.

1355. Quanti vero eadem Ipecacuanha exiguissimis dosibus data facienda sit in spasticis morbis, et quantum saepe commodum mihi attulerit (§. 954.) vix oportet dicere post ea, quae ad egregiam eius facultatem in asthmate spasmodico, in tussi convulsiva, in sputi difficultate ex spasmo, in passione

hysterica, in affectione hypochondriaca, atque in hernia incarcerata ex Clariss. Viris AKENSIDIO, REIDIO, PLENKIO, RICTHERO, aliisque a Medicinae Scriptoribus adduci solent. Potius quidem iuvabit animadvertere ex eo, quod in hisce morbis tam minima dosi, nec diu adhibita, mirifice prosit, et malum saepius mitiget, aut tollat nullo vomitu concitato, nullo item conatu ad reiiciendum, ac nulla manifesta exinanitione promota, optimo iure Therapeutas assumere, virtute tunc prodesse Ipecacuanham, quae generatim ab emetica plane distincta sit, atque a diverso principio derivata antispasticae facultatis nomine non male designetur. Praesertim cum mihi sit non una observatione compertum, sitque pariter aliorum experimentis evictum, Emetica alia pari modo adhibita in adductis casibus raro opem aliquam praestare, ac nunquam tantam afferre, quantam Ipecacuanha solet.

1356. Quo quidem actionis principio utor ad assequendum insigne auxilium quod eadem Ipecacuanha exiguissimis plane dosibus propinata praestat cruenta narium, ac speciatim uteri haemorrhagia detentis. Eximiam quippe eiusmodi potentiam, quam invenit BAGLIVIUS (*a*), ac luculentius deinde CAROLUS GIANELLA (*b*) confirmavit, assentientibus post-

(*a*) Op. omnia pag. 61. (*b*) De Ipecacuanh. virtut. Patavii 1754.

modum Illust. Dalbergio, Bergio, Murrayo, aliisque non paucis, quis non huic principio, aut cuique prope singulari referet, si nullo ad vomitum incitamento, nullave exinanitione eadem cruenta profluvia compescit, et sistit? Qui eidem non tribuet reputans animo ab istis Clinicis uno eius usu ita instituto, ut radicis dimidium granum, aut unum singulis horis, aut alternis sumeretur, cohibitum profluvium sine ullo reditus metu mirifice fuisse, vix, ac ne vix quidem, uno remedii scriptulo aliquot dierum spatio insumpto? Qui maxime non ipse tribuam qui plurimas hac medendi methodo haemorrhagias uteri a nervosa affectione, ab abortu, a protractis menstruis, aliisve caussis, post irritum quandoque aliorum remediorum usum prompte, tutissimeque cohibuerim, ac narium fluxus interdum vel averterim in obnoxiis, vel sanaverim in iis, qui ob easdem caussas capitis plethoram inferentes eodem detinebantur?

1357. Caeterum tam late patet utilitas Ipecacuanhae ea, de qua hactenus dixi, ratione propinatae in sanguinis ex aliis quoque partibus erumpentis immodicis fluxibus, ut Bergio assentiri Clinici non soleant, dum eius efficacitatem videtur ad nimium ex haemorrhoidalibus vasis fluxum, atque ad mictum cruentum non extendere. Licet enim viderit vix cohibitum ex haemorrhoidibus profluvium rediisse, ac perperam ter haematuriam sistere tentasse fateatur; cum post Dalbergium, ac

Henningium alii utrumque fluxum prorsus cohibuerint, sicuti haemophthisim post Barbeiracium quidam eodem remedio feliciter sanarunt, quando, ut puto, oportebat, non minus submovere spasticam caussam, quam alio, subinde exitati stimuli ope, sanguinis affluentiam ad pulmones avocare. Nam in caeteris casibus ratio, atque experientia haemophthoicis Ipecacuanham inutilem saltem futuram aperte declarant.

1358. Sicuti vero quando tam exiguis dosibus in propositis affectibus Ipecacuanha propinatur iuvat non raro eam nunc cum extractis, aut syrupis coniungere, nunc cum magnesia, saccharo, et gummi, nunc cum aliis medicamentis consociare, ut cum Opio fit, sicuti alibi opportunius dicam; sic non minus expedit eam cum aliis remediis praescribere quando vomitionis ciendae caussa usurpatur, ut plenius, certiusque ad vomendum stomachum provocet. Ubi nimirum sapore suo tam prompte, sicuti in quibusdam evenit, nauseam sollicitet, ut nondum ad stomachum delata reiiciatur, saccharo, similibusque admiscetur. Si tenax praeterea, et mucosus humor ventriculi parietibus adhaerens, aut pituitosa colluvies idem viscus obsidens dubium reddat remedii effectum, qui revera plerumque ob eiusmodi caussam nullus est, cum salibus mediam, aut alcalicam indolem habentibus recte datur. Ubi denique aut validius incidere conveniat, vel subito, ac plenissime totum ventriculum cum duodeno exinanire, ut in assumpto veneno, aliis.

que urgentibus casibus oportet, coniunctionem postulat *Tartritis potassae stybiati* seu Tartari emetici, qui eius effectus celeriores, plenioresque efficiat.

1359. Hinc Tartarus emeticus, sive stybiatus licet Ipecacuanhae cedat, ubi omnis pene exinanitio ex ore, non ex alvo promovenda est, huic tamen pluries praestat, quatenus evidentius resolvit, validius stimulat, plenius stomachum, citiusque a contentis liberat, sapore suo nemini invisus esse solet, atque in exigua aqua copia perfecte solubilis sumi ab iis facile potest, qui gustu, halituque nauseosa omnino aversantur, atque ob vitium faucium, aliasve caussas vix unam, alteramve unciam liquoris possunt haurire, ac denique emetico, quo prorsus indigent, ut sanari queant, invicte repugnantes non nauseoso, aut inviso medicamento necessario fallendi sunt. Quibus sane singulis commodis afferendis cum par sit Tartarus emeticus ad certiora, atque efficaciora Vomitoria auxilia pertinet, et reliquis ex Stybio praeparatis, compositisque remediis alias crebro ad vomitum faciendum adhibitis palmam ita praeripuit, nostris maxime diebus, ut hoc fine ex istis fere unus usurpetur. Cum enim Chemicorum industria eam methodum invenerit ex *Acido tartaroso* atque *Oxydo stybii ex acido muriatico* Tartarum emeticum praeparandi, qua certus, ac constans efficacitatis gradus ei accedat, suppeditavit sane Medentibus remedium tutissimi usus.

1360. Ubi proinde illud Oxydum stybii lixivii alcalici ope probe lotum, *Tartriti acidulo potassae*, seu Cremori tartari admixtum sit donec saturetur, Sal neutrae indolis, qui tunc emergit, vomitum certo movet, atque innoxie agit ab uno grano ad alterum, dummodo, Sapientioribus Chemicis monentibus, nec in nimia aquae copia, nec in ea fervida solvatur. Tum enim remedium aliquatenus resolvitur: unde Macquerius monebat paucam ad eius solutionem, et quidem frigidam aquam adhibendam esse, vel, ubi fervida ob singularem caussam conveniat, ei aliquid Cremoris tartari adiicendum esse prius quam in ea Tartarus emeticus solvatur. His autem servatis hoc remedium vix in stomachum delatum vomitionem proritat, ac pluries provocat, exinanito penitus ventriculo, atque omnes una affert utilitates, quas generatim Vomitoria medicamenta praestant, tum quae resolvunt, et stimulant speciatim adducunt.

1361. Quoties igitur Tartarus emeticus vel indicata ratione, vel alia aeque commoda paratus suppetat; toties vix ulla unquam necessitas est, eum ultra unum, alterumve granum apud nos exhibendi, imo nulla subest eius loco alia usurpandi ex Stybio praeparata. Ad vomitum proinde faciendum supervacanea, nobisque inusitata plane sunt *Oxydum stybii ex acido muriatico* seu Pulvis Algarotti, aut Mercurius vitae, *Oxydum stybii sulphuratum semi vitreum* seu Crocus metallorum, *Oxydum stybii sulphuratum* seu Hepar Antimonii, *Oxydum stybii sulphuratum*

vitreum seu Vitrum Antimonii sive Simplex, sive Ceratum, *Oxydum stybii sublimatum* seu Flos Antimonii, qui vel Niveus, vel Sulphuratus est, *Oxydum sulphuratum* tum *rubrum* seu Kermes minerale, tum *aurantium* seu Sulphur Antimonii auratum; ac denique caetera *Oxyda stybii* ex *Nitrate*, aut ex *Carbonate potassae* quae Antimonium diaphoreticum ablutum, et Antimonium diaphoreticum non ablutum constituunt. Superflua pariter tamquam Emetica habentur *Sulphurum stibii* seu Antimonium crudum, *Stybium* seu Regulus Antimonii, atque alia ex eodem ducta. Denique non necessaria, ut emetica, iudicantur Tinctura Antimonii, Syrupus antimonialis, aut emeticus, Vinum antimoniale Huxhamii, Vinum emeticum, Aqua benedicta Rulandi, atque alia nobis insueta.

1362. Ista quidem omnia, praeter quam quod ad vomitum concitandum supervacanea evaserunt, constituta efficacitate, ac praestantia Tartari emetici, ideo etiam ad vomitum ciendum exolevere, quia nonnulla saepe fallunt, alia nimis tarde, et lente agunt, quaedam agere nequeunt quin stomachum infirment, ac quaedam denique vehementius, quam par est, operantur ea dosi, quae requiritur, ut ventriculi exinanitionem adducant. Hinc eiusmodi praeparata, ac composita, vel partim exoleverunt, vel quae retinentur, aliis usibus inserviunt, quorum aliquos cum iam indicaverim dicens de Stimu-

lantibus, Resolventibus, Expectorantibusque medicamentis, reliquos persequar eo loco, quo remedia expendam, quae ad sudorem pellendum efficaciora, ac magis usitata sunt.

1363. Praeter haec solent plerique Materiae medicae Scriptores inter valida Emetica recipere, quasi certo, efficaciter, ac sine ulla noxa vomitum cierent, quaedam alia medicamenta sive ex Fossilibus, sive ex Vegetabilibus sumpta, quae tamen neque a Sapientioribus Clinicis probantur, neque in usum venire, saltem hic loci, unquam solent. Illi siquidem proponunt vomitionis ciendae caussa Salia varia, sive media, sive alcalica, tam fixa, quam volatilia, ac praesertim quae ad alvum ducendam saepius probantur; atque ea quidem copiose exhibita, ne Purgantia potius, quam Emetica fiant. Istis item addunt illa pene omnia, quae validiori potentia alvum ducunt, atque inprimis resinosa, atque acri indole praedita, ac maiori, quam ad alvum trahendam fieri soleat, quantitate exhibita. Verum recte utroque remediorum genere partim ob incertum effectum, partim ob vehementem actionem, quae citra discrimen esse nequit, nunquam utimur.

1364. Quae denique ad tertium Emeticorum genus pertinere dicuntur, quaeque validissima vocantur (§. 1340.) nullius usus ego quidem existimo, sive Vegetabilia, sive Fossilia sint. Nam quae inter illa praecipua censentur, vel temere alias proponebantur, nimirum Semina *Euphorbiae lathyris* seu Cata-

putiae minoris, ac *Iatrophae curcas* seu Ricini maioris; radices *Veratri albi* seu Hellebori albi, *Hellebori foetidi* seu Helleborastri; fructus, aut expressi succi *Momordicae elaterii* seu Cucumeris asinini; *folia Nicotianae tabaci* seu Tabaci; atque acres bene multae Stirpes, ac variae inprimis *Euphorbiae*, ac *Digitalis* species: singula quidem haec Vegetabilia ab Arte sunt quam aliena. Acribus enim, ac venenatis praedita viribus, licet vomitum potenter faciant, agere nequeunt quin cardialgiam, tormina, inflammationes, convulsiones, aliaque dira, ac funesta mala plerumque inferant, nisi protinus eorum noxis prompte dato emetico, ac diluentibus, oleosis, mucilagineis, demulcentibus largiter sumptis, lacte copiose hausto, subinde acidis, aliisve pro singulari acris, atque erodentis stirpis natura remediis usurpatis occurratur.

1365. Illa vero quae ex Fossilibus tamquam Emetica valentissimi generis indicantur, atque interdum fuerunt ad medendum adhibita, non minori iure reiicienda mihi videntur. Enim vero Antimonialia acriora, Mercurialia acidorum ope praeparata, ac Vitriola vomitum tam vehementer movent, et tantum discrimis afferunt multimode affecto, ac laeso saepe ventriculo, ut prudentis Artificis non sit, etiam ubi gravissimus vomitus potenter provocandi incidat casus, ad ea confugere. Hoc quidem fine plerique volunt *Sulphatem zinci* seu Vitriolum album, quod depuratum Gilla Theophrasti vocatur, alias ad vomitum

ciendum aliquot dosi granorum crebro recepta, retinendum esse. Omnibus enim antecellere dicitur promptitudine, qua vomitum ciet, et plenissima, quam affert, exinanitione; proindeque praestare reliquis Emeticis, quando perniciosi, aut venenati aliquid e stomacho protinus excutiendum sit. Interea cum exigua etiam dosi sumptum saepe ventriculo obfuerit, ac tormina ventris, ac vehemenres convulsiones excitaverit, quis dabit intrinsecus maiori quantitate, quam proponunt qui eius dosim ad dimidium usque scriptulum extendunt? Quis tunc, ob ipsam quoque copiam ad laedendum aptius Emeticum, expers discriminis censebit? Quis demum, licet periculosum, ob eius tamen promptam, validamque agendi rationem interdum necessario usurpandum esse docebit, cum Tartarus emeticus rite confectus, modo per se aucta dosi, modo Ipecacuanhae admixtus certo agat, sat celeriter operetur, ac soleat stomachum penitus exinanire?

1366. Quocumque vero remedio vomitus cieatur, ut is facile, expediteque contingat, ac plenam stomachi exinanitionem praestet, imo quae deinde ad eum, ac duodenum affluunt iteratis reiectionibus dispellat, adiuvari debet potu tepido sive Aquae purae, sive Aquae mellitae, vel quovis alio modo nauseosae, sive Infusu ex herbis sapore ingratis stimulantibusque (§. 1341.). Qui quidem potus post unamquamque reiectionem laxo gutture hauriendus est, ea tamen copia, quae

ven-

ventriculum mediocriter distendat, ne secus eius contractionem nimia distractione prohibeat, quaeque ad stomachum a reliquiis, sive haerentium rerum, sive medicamenti eluendum sufficiat. Quare, ubi iam simplex, aut purus reiicitur potus, oportet ab eo protinus abstinere, ne infirmetur ventriculus, neve nisus vomendi, ipsaeque vomitiones plane inutiles, ac temere protractae vires atterant, atque aegrum in non leve etiam discrimen coniiciant.

1367. Non debet tamen ignorari vomitionem non semper protrahendam tamdiu esse donec nil amplius quam merus potus reiiciatur. Saepe enim, inquit rectissime GREGORYUS » veluti in iis qui glutine, aut acore » ventriculi, vel febre intermittente laborant, » multa materies morbosa reperietur, quamvis » vomitus quotidie, vel saepius in die repe» titus fuerit. Quin et vomitus nimis fre» quens, infirmato scilicet ventriculo, et laesa » alimenti concoctione talem morbosam ma» teriem saepe gignere videtur ». Quod utinam ii animadverterent, qui in morbis, ac speciatim in febribus curandis toties emeticum iterum exhibent, quoties linguae, atque halitus foeditatem observant, aut alia eiusmodi saepe fallacia signa nimis faciunt. Tunc sane supervacanea, atque inopportuna exinanitione, corporisque commotione vitata, iucundius, et tutius mederentur, vitatis etiam malis, quae vomitionum frequentia (§. 1337.) facile accersit.

1368. Finito autem vomitu oportet aegrum ad quietem componere sedula cura removendo, aut avertendo omnia, quae denuo possent eum afficere, convellere, atque ad vomendum adducere. Expedit vero plerumque id omne tunc servare, quod cutis exspirationem promovet. quoniam vomitum ei incitandae, vel adiuvandae valde idoneum hoc maxime fine Medici tentant, aut saltem desiderant praeter reiectionem eorum, quae ventriculus continebat, hoc etiam beneficium afferre aegris, quos nutriunt. Quod si accidat, ut vomitus, aut vomendi irritus conatus post certum temporis spatium non conquiescat, inspiciendum est, quodnam auxilium opportunius esse queat ad alterutrum ex eo molestum, et grave incommodum tuto, ac prompte removendum. Non enim Opium, ut vulgaris fert quorundam opinio, ad id perpetuo expedit. Qui enim opinionem suam auctoritate Sydenhamii tuentur, non animadvertunt Magnum Virum non eo uno fine consuevisse ea die, qua vomitum medicamentis provocaverat Opiatum remedium propinare, quoniam saepius hac methodo studebat, nervorum turbas excitatas sedare, corporis vires ad uberiorem exspirationem adigere, ac somnum, aut quietem adducere.

1369. Et re quidem vera cuique reputanti dissimiles caussas, quae sive erodendo, sive sensilitatem nimis incitando, sive irritationem nimiam inflammationi proximam inferendo, aut alia peculiari ratione ab indole

remedii profecta ventriculum laedendo (quando maxime acrius, et vehemens medicamentum fuerit adhibitum, aut nimia datum dosi, aut nimium vomitus protractus) possunt vomitionem, vel eius conatus protrahere; rationi consonum videbitur existimare, non unum auxilii genus, sed aliud, atque aliud pro re nata ad vomitum tollendum opportunum, ac necessarium futurum. Quod profecto observationi respondet, quatenus docet ad id convenire modo diluentia, modo demulcentia, atque involventia mucilaginea, modo acida, modo aliorsum revellentia, modo paregorica, atque opiata, modo denique alia aegri proprietatibus, ac singulari Emetici assumpti naturae apta auxilia mature, ac diligenter usurpata; ne ob incautum adhibendi modum effectu frustrentur, ipsumque fortasse vomitum exasperent.

1370. Quae cum ita sint dissimiles perseverantis vomitus caussae, atque inter se variae res ad eum cohibendum accommodatae, clarius adhuc intelligimus quî fiat, ut unum auxilii genus in omni casu sufficere non possit, atque indiscriminatim adhibita saepe fallant duo illa remedia, quae tamquam specifica ad vomitum sedandum a plerisque Materiae medicae Scriptoribus indicantur, nempe *Mentha* sive *sylvestris*, sive *crispa* (§. 843.) cum omnibus eius praeparationibus, ac Potiuncula Riverii, vel Haustus antiemeticus. Nam Mentha nil proprii habet, quo a caeteris affinibus Verticillatis

virtute differat, quae sane nullam singularem, et constantem adversus vomitum facultatem ostendunt. Remedium vero alterum, quod conficitur Salis Absinthii, aut generatim *Carbonati potassae* scriptulo, aut dimidiae drachmae affuso succo Limoniorum, aut Aceto, etsi sumptum dum adhuc effervescit, par saepe sit inverso fibrarum motu sublato, vel ob gasticum potissimum fluidum evolutum, vel ob nauseam sua saporis qualitate discussam, vel ob mitigatam indole sua stimuli haerentis irritationem, vomitioni inhibendae; non raro tamen tempestive, recteque adhibitum spem Artificis eludit. Quare neque huic, neque cuique alio remedio ita fidendum unquam erit, ut illa omittamus, quae speciatim indicata certius, ac promptius queunt fluentem nauseam coercere.

CAPUT V.

De iis, quae alvum ducunt.

1371. Medicamenta quae sive ore assumpta, sive alio modo vivo corpori applicata alvi deiectionem crebriorem, et copiosiorem efficiunt, ac quidquid in oesophago, ventriculo, atque intestinis adest, vel ad easdem partes ex aliis locis confluxit, inferius determinant, atque ex alvo expellunt, Purgantia, vel alvum ducentia, aut Cathartica vocantur. Horum quippe potentia, non solum saliva, mucus oris, et faucium, humor, qui in oesophago secernitur, succus gastricus, enthericus, et pancreaticus, bilis, acria quaelibet primas vias obsidentia, reliquiae alimentorum, vermes, pus, et faeces, sed alia quoque recrementa eadem via interdum eliminantur. Quorundam enim remediorum actione sordes ipsae in sanguine prius haerentes, eiusque particulae superfluae, tenaces, viscosae, ac multimode corruptae, morbidaeque, vel simplici avocatione, vel quapiam resolutione, vel alio quovis modo ita disponuntur, ut ad intestina confluant, atque ex alvo nunc cito, nunc tardius exeant.

1372. Purgantia porro nonnulla non in ventriculo tantum, atque intestinis suas exerere vires; at secundas quoque vias ingressa

sanguinem proxime afficere multa sunt, quae nobis suadeant. Etenim, ut mittam, quae a Therapeutis generatim adducta ambigua sunt, aut non satis evicta, ab assumptis quibusdam remediis alvum ducentibus nata phaenomena cuique comperta rem ita evenire luculenter significant. Sunt eiusmodi variae pro diversa medicamenti usurpati indole coloris, odoris, ac saporis in urina mutationes; lac Nutricum inde purgans interdum factum; alvus crebro mota a quibusdam Purgantibus vel manu calida et humida contrectatis, aut ventri, aliisve partibus, praesertim in Infantibus, Puerisque oblinitis; imminutio plethorae; correctio cacochymiae; aliaque huius generis.

1373. Interea necesse non est ad aliquas ex allatis mutationibus, aliasve assequendas, quas Purgantia excitant, ut horum particulae in sanguinem per vasa deducantur, eumque proxime afficiant. Vario siquidem stimulo, quem haec remedia vehunt, fibris applicito apta sunt ob auctum peristalticum motum, inductamque contractionem, quae ventriculo, atque intestinis contenta inferius propellat, non minus promptae, ac copiosae exinanitioni afferendae, quam aliis effectibus excitandis. Hinc generatim, praeter exitum humorum, atque imminutionem, eorum secretionem, qui ad primas vias naturaliter confluunt, expediunt, atque augent; reliquorum affluentiam ad easdem partes promovent; vim nervorum ad ipsas quoque determinant; caeteras secretiones, excretionesque moderantur; absorben-

tium vasorum actionem excutiunt, ac in sanguinis motu, copia, atque indole varias, ac plures mutationes afferunt.

1374. Praeter hosce generales, aut praecipuos Purgantium effectus alii rursus inter agendum se exerunt, qui a varia eorum natura, proprietate, atque actionis modo originem ducunt. Nonnulla siquidem sudorem temperant, atque evidenter refrigerant; alia acris ardoris sensum in stomacho movent, aut ad totum corpus calorem diffundunt; quaedam ventriculum, atque intestina confirmant, atque adstringunt; alia infirmant, et laxant; alia illatis torminibus, ac ventris inflationibus operantur; dum reliqua lenissime, ac sine ulla molesta commotione ventrem sollicitant; quaedam item resolutionem humorum et faecum afferunt, dum alia evacuant quin ullam in illis mutationem inducant; quaedam denique gastricam, putridamve, aut pravam quamcumque nocuam cacochyliam non modo deiiciunt, at simul corrigunt, aut saltem, ne in peius augeatur valide impediunt, dum alia ad eiusmodi pravas emendandas humorum qualitates, eorumve mutationes in deterius inhibendas non valent.

1375. Purgantia vero medicamenta ratione humorum, quos speciatim attrahere, atque educere existimabant Veteres distinxerunt in Chalagoga quae ex alvo ducerent flavam bilem; Melanagoga quae nigram seu atram bilem; Phlegmagoga quae pituitam; Hydragoga quae lympham aut aquam; et Panchy-

magoga quae omnes humores aggrederentur; ac per rectum intestinum expellerent. Iuxta hanc autem divisionem singula Purgantia seiuncta ad certa genera ita revocabant, ut fidenter docerent quodnam ad unum, alterumve humorem speciatim educendum expediret, ac proinde quovis in casu praesertim eligendum esset. Verum qui consideret inanem illam, ac partim falsam divisionem humorum, ac vanam illam hypothesim remediorum, quae singulari virtute unum humorem attrahant, caeteris relictis; caussam illico assequetur cur iamdiu Therapeutae allatam Purgantium distinctionem contempserint, ac prorsus reiecerint.

1376. Aliam itaque divisionis methodum cum sequendam esse cognoverint qui de Medicamentis disserunt, quidam eorum magni nominis Scriptores se quam optimam tradere existimarunt, si Purgantia iuxta eorum agendi rationem in quaedam genera tribuerent. Eam enim arbitrati ex remediorum naturis, atque effectibus satis superque se perspexisse, tuto discriminari Alvum ducentia docuerunt in laxantia, et lubricantia, in resolventia seu digestiva, in stimulantia specifica, atque in irritantia acriora. Verum licet non denegaverim Purgantia quaedam nunc constrictis nimia vi irritabilitatis stimulo excussae, aut spasmo intestinorum fibris relaxatis, nunc viscosis, tenacibusque humoribus, aut faecibus resolutis, nunc stimulo, sive leni, sive acriori fibris irritatis ventrem deiicere; ob multas tamen caussas, quas modo non interest aperire, hanc

divisionem, utpote ambiguam, imperfectam, et Medicorum rationibus parum hactenus idoneam sapientiores Therapeutae hodie negligunt.

1377. Illam proinde, hisce, aliisve reiectis, communiter sequuntur, quae a varia efficacitate, aut vario actionis gradu, qui non minus a copia exinanitionis, quam ab effectus promptitudine pendeat, opportune ducta Purgantia quaelibet sistit distincta in Lenia, in Mediocria, aut valida, atque in Validissima. Qui enim non tria summa genera admittunt; at quatuor, tum haec aliis nominibus designant, qui nempe quaedam vocant Lenientia aut Eccoproctica, quaedam Purgantia minorativa, alia Cathartica, alia denique Drastica ab eodem principio divisionis normam sumpserunt. Quare qui unam, vel alteram sequatur, profecto sat commode Purgantia distinguet, eamque divisionem amplectetur, quae, etiamsi non omnibus arrideat, qui meliorem, optimamque quaerunt; ea tamen est, quae hactenus minoribus difficultatibus premi, et commodior reliquis, aut minus Medicis aliena censetur.

1378. Quantum igitur ordo, ac nexus rerum, quae a me expendendae hic loci erunt, pati poterunt huic divisioni insistam. Sed antequam de singulis Alvum ducentibus dicam oportet tradere quae generatim alvi ductionem indicent. Praecipua sunt ponderis sensus, ac molesta tensio abdominis, ac maxime hypochondriorum; ructus, flatusſ, inflationes, ac

ventris murmura; alienae, superfluae, gastricae, corruptae, ac morbosae materiae in primis viis haerentis nota cuique ex halitu oris, sordibus linguae, similibusque indicia; errores in cibo commissi; digestionis, aut coctionis vitia; alvus adstricta, parcior, aut solito fluidior; insolita, aut nimia faecum durities; vel contra fluxus alvi non conliquativus; iecinoris, lienis, aut mesenterii infarcti signa; natura morbi, ac speciatim gastrici generalis, et singularis; epidemica eiusdem constitutio; derivatio humorum ad intestina; revulsio a reliquis partibus; vermium nidulantium phaenomena; aliena quaecumque acria, noxia, et venenata assumpta, atque adhuc intra intestina haerentia; morbificae materiae coctio iam facta; crysis ex alvo futura, quae promovenda videatur; aegri consuetudo; impeditus ob aliquam caussam emetici caeterum indicati usus; aliaque huiusmodi cuique comperta.

1379. Adversantur autem in universum alvi ductioni, praesertim validiori, acribusque remediis tentatae morbi maxime acuti, atque inflammatorii, puri, ac cum nulla primarum viarum colluvie coniuncti; lochiorum, menstruorum, atque haemorrhoidum fluxus, qui neque a gastrica caussa, neque ab acri intestina obsidente materie protrahatur; graviditas, et puerperium, nisi humor turgeat; coctio vel instans, vel iam praesens; crysis imminens, quae per alvum futura non sit; ventriculi, atque intestinorum inflammatio,

aut aliud quodvis gravissimum malum ex irritatione, aut organica laesione ortum; phthisis confirmata, ac tabes; insignis virium debilitas a mobilitate, nervorumque passione; ac reliqua demum omnia, quae paullo ante propositis opponuntur, ae speciatim ab iis tradi solent, qui de curandis morbis disserunt. Isti siquidem ex singulari natura, propriisque caussis morborum novas deducunt exceptiones, quibus Purgantium usum vel ex parte tantum permittant, vel prorsus excludant.

1380. Missis igitur tum istis, tum iis etiam praeceptis, quae opportunius in Therapeutice speciali, quando cuiusque morbi curatio singillatim traditur, exequi possunt, mea potius intererit ad ea tam multa, tamque varia origine, ac proprietatibus, quae ad hoc Caput pertinent, remedia properare, ut eorum, saltem quae praestant virtute ad alvum ducendam, vires, usus, ac rationes innotescant. Porro ad primum genus alvum ducentium, seu quae Lenia, aut Eccoproctica laxando, lubricando, ac stimulum quemcumque obtundendo ventriculo, atque intestinis contenta deiiciunt non pauca pertinent. Huc siquidem traduci solent Herbae emollientes (§. 695.) Olera mollia, tenera, et succulenta (§. 178.), de quibus satis iam dixi. Sunt etiam huius loci Lac ebutyratum tepidum, sive per se, sive aqua dilutum largiter epotum, ac Serum dulce, quod speciatim egregie demulcens, temperans, et laxans (§. 325,) ad unam, alteramve libram sumptum plerisque sufficit ad iteratas

alvi deiectiones movendas. Speciatim demum huc revocantur praeter butyrum, atque iura carnium pinguia, Olea plantarum mitissimae indolis, quorum fuse alibi memini (§. 680.) ac maxime recenti expressione elicita, nobisque usitatiora, ut sunt Oleum Olivarum, Amygdalarum dulcium, ac Seminum lini.

1381. De singulis proinde istis Olei speciebus locus iubet, ut pauca nunc moneam, quae eorum usum ad alvum ducendam respiciunt, cum de eorum origine, indole, proprietatibus, caeterisque in Medicina usibus iam abunde (§. 680. et seq.) dixerim. Scire itaque expedit Oleum Olivarum cum stimulum obtundat, emolliat, et laxet (§. 681.) non impar saepe expiandae alvo remedium esse, ac crebro ad eam revera ducendam vulgo usurpari; ac crebrius quidem quam oporteret. Qui enim eius indolem, ac vires reputet ultro dabit, non tam saepe, ut a quibusdam censetur, alvo movendae par auxilium esse, aut opportunum, atque innoxium eius usum futurum. Quando enim ad alvum ducendam oportet fibras stimulare, aut ipsas faeces resolvere idoneum non est; quia primum, nisi vetustate rancidum, atque acre evaserit, nequit praestare, alterum vero per se nequit efficere. Nunc itaque effectu carebit, quemadmodum alienum, aut nocuum erit, non secus ac quodvis Oleum, in morbis cum nimio calore, ac pronitate ad putrescendum coniunctis ob caussas iam adductas (§. 690. 691.).

1382. Iis proinde, quae ad eius veluti purgantis medicamenti usum in acutis febribus, ac gastricis ipsis, putridis, nervosis, aut malignis tutum, utilemque probandum quidam vel nuperrime in medium adduxerunt, ab ea sententia, ne dimovear ratio, atque experientia me satis commonefaciunt. Huius itaque, ac similis cuiusque Olei usum ad alvum molliendam rectius probo veluti utilissimum in morbis intestinorum, quos dolor, aut spastica constrictio infert, ant comitatur, ut in variis Colicae speciebus, in hernia, iliaca passione, nimia irritatione intestinorum, aut in similibus affectibus, quos speciatim tradere aliorum est. Datur istud Oleum, sive uno haustu sumatur, sive pedetentim ad duas, tresve, aut quatuor uncias, imo ultra in graviori casu, ac praesertim assumpti acris, atque erodentis veneni, nunc purum, nunc sicuti alibi saepius fit, ovi vitello, aut gummi arabico subactum, aut emulsioni additum: quibus modis non tam facile nauseam movet.

1383. Eadem dicenda sunt de Oleo Amygdalarum dulcium (§. 682.) quod cum illo qualitatum, viriumque ratione conveniens ad alvum molliendam aeque efficaciter, atque utiliter valet, nisi etiam in iis morbis, quos mox indicavi, atque in caeteris casibus, in quibus tam frequenter eodem Vulgus utitur, anteponendum sit ob gratiam saporis, ac maiorem puritatem. Quando scilicet utrumque in communi Oleo, utpote non optimo, desideretur, tunc Amygdalinum diligentissime ex-

pressum ex Amygdalis ob vetustatem non rancescentibus ei iure praefertur, etiam ut leniens, atque alvum subducens medicamentum. Hinc forte hoc ipsum Oleum aliis longe usitatius evasit, ac tunc quoque esse solet ubi probatissimum Oleum Olivarum aut nunquam suppetit, aut perraro occurrit; dum interea ob saporem plerisque invisum, aut ob qualitatem ex minori cura ad praeparationem adhibita plerumque non optimam Oleum seminum Lini (§. 683.) vix unquam utriusque loco adhibetur, quamvis ab alterutro necessariis proprietatibus, viribusque (§. 692. et seq.) non differat.

1384. Prae hisce tamen Oleis ad alvum ducendam celebrari nuper coepit, ac crebro in usum venire Oleum, cuius iam memini (§. 686.) e seminibus *Ricini communis* seu Ricini vulgaris expressum, sive petitum sit ex iisdem a stirpe apud nos culta abunde praestitis, sive allatum ex utraque India sub nomine praesertim Olei liquidi Palmae. Istud enim Oleum subpellucidum, crassum, atque albidum, ubi recens sit, secus densum, rubicundum, quod inodorum, fere insipidum, aut lenem cannabis saporem prodit, censetur a plerisque, non solum communes oleorum natura similium facultates exerere, sed alias quoque sibi proprias a singulari stimulo derivandas, quo intestina impune, licet efficaciter, percellit, atque excutit, proindeque vere purgantes. Quamquam non desunt, qui reliquis expressis oleis praestare virtute acriter

denegant cum arbitrentur tunc solum intestina, stimulantis instar purgantis medicamenti vellicare quando vel aetatem nactum, vel e rancescentibus eductum seminibus rancorem susceperit, vel prava methodo eductum, aut alienis additamentis adulteratum fuerit.

1385. Verum ne cum quibusdam deses mirarer discrepantes Auctores, atque inter oppositas sententias dubius haererem in ea re, quae dirimi experimentis fortasse poterat, quid Oleum istud revera praestaret non una ratione volui superioribus annis experiri. Oleum proinde non minus ex India allatum, quam ex seminibus recentissimis eiusdem Ricini in Alpibus Insubriae finitimis exculti expressum modo purum, modo, ut Bergius (*a*) consueverat, gummi Arabico, aut ovi vitello in emulsionis formam redactum ad semunciam, unciam, sesquiunciam, et ultra propinatum est, tum aegris diverso morbo laborantibus, tum aliis, qui eo nondum implicatis alvi ductione, ne in adversam valetudinem inciderent, prorsus indigebant. Remedium hoc modo exhibitum rarissime inefficax evasit; nam brevi, levibus plerumque concitatis doloribus ventris, aut intestinorum motibus alvum movit, et quidem saepe ter, quaterve ea ratione, qua reliqua mediocria Purgantia solent.

(*a*) Mat. Med. Vol. II. n. 481.

1386. Hisce perspectis quaerebam deinde, num Oleum ipsum a quibusdam purgationis caussa adhibitum ideo tardum, lentum, aut impar extitisset, quod usurpatum fuisset expressum e seminibus testa, ac membrana, quibus obvelantur, spoliatis. Iam vero quod docuerat Bergius (*a*) involucris, ac speciatim testae, adhaerere principium, quo semen Ricini vulgaris vomitum, aut alvum potenter concitare Medici multo pridem cognoverant, verum plane esse ex non absimili experimento ipse quoque didiceram. Nam cum quis Materiae medicae studiis naviter incumbens nollet omnem fidem iis adhibere, quae Bergius retulerat, atque experimentum audacter ultro iterasset dum nullam mutationem sensit uno Ricini semine ieiuno stomacho sumpto plumula, ac dissepimento, ut dicunt, diligenter spoliato, sequenti die, uno pariter integro semine deglutito, aliquot horis post ingenti primum vomitu, dein alvi deiectione correptus diffidentiae suae poenam luit. Sperabam igitur quaestionem posse persolvi, si attente perpenderentur effectus, quos idem Oleum tum ex integris expressum seminibus, tum ex iisdem probe decorticatis eductum inferret.

1387. Utroque porro modo paratum Oleum mihi exhibenti luculenter innotuit eductum e decorticatis seminibus ab altero ideo discrepare, quod tardius, et lenius agat, ac

---

(*a*) Op. cit.

sine torminibus parum copiosam deiectionem adducat, quin tamen vel tunc careat prorsus ea vi, ob quam iam alibi affirmaveram (*a*) reliquis Oleis expressis ad alvum ducendam anteponendum esse. Tantum siquidem iam occlusa involucris materies in oleum resolvenda ab iisdem acritudinis accepit, ut etiam quando ista exuerit, retineat quantum sufficit, ut eductum Oleum intestinorum fibras vellicando actione sua a reliquis mitissimis discrepet Oleis, iisque purgandi potestate antecellat. Quare merito Clinici, sive uno, sive altero modo paratum adhibeant Oleum Ricini, arbitrantur se Oleum adhibere, quod validiori, atque a caeteris distincta, et vere purganti virtute donetur.

1388. Sed dum eiusmodi tamen Oleo fidenter utuntur, quod nisi male paratum sit, corruptumque raro fallit, Medici dispiciant num in volvulo, calculo felleo, Colicis quibusdam, aliisve casibus, in quibus laudatissimum est, communi non aptius esset, utpote mitius, illud quod e decorticatis seminibus paratur. Id quippe horum morborum natura spectata interdum opportunum videtur. Interim quocumque utantur, caveant, ne cum quibusdam Oleum istud vel expressione, vel coctione paratum ideo in inflammationibus, atque in febribus gastricis, biliosis, putridisque tutissimi usus esse credant, quia innocuo

(*a*) Opusc. Therap. Op. 1. pag. 59.

plane stimulo donatur, atque omnium difficillime rancescat. Nam neutrum satis verum esse observatio evicit. Caeterum quae de Oleo Ricini communis dico valere quodammodo dicuntur de Oleo, quod rarissime ad nos usque ex America calidiori advectum Oleum Cicinum dicitur, atque e seminibus *Iatrophae curcas* seu Ricini maioris, venenatae stirpis, vel expressione, vel coctione instar unguinis educitur. Nequeo interim tutis observationibus destitutus definire, utrum validissimum adeo ad alvum ducendam existat licet exterius ventri tantum illiniatur, ut non ultra paucas guttas ore sumendum sit, ac nunquam in ileo, et colica exhibendum, imo caute in hydropisi, viscerum obstructionibus et vermibus tentandum, sicuti quidam monent, an contra viru, aut nimia acredine expers, nec vehementer alvum ducens, fidenter queat in adductis casibus propinari, et quidem ad semunciam. et ultra, ut Auctores alii perhibent.

1389. Ad lenia dein Purgantia pertinent liquores, fructus, atque alia, quae dulcem saporem habent, vimque laxandi, quaeque ex Saccharo praecipuam efficacitatem agnoscunt. Pleraque tamen medendi caussa nec probari, nec adhiberi nunc solent. Nam Vinum admodum dulce, et Cerevisia dulcis, atque utriusque Mustum, etsi alvum moveant inassuetis, cum tamen sine ventris inflatione, torminibus, aliisve molestiis non moveant, Medicis aliena videntur. Vix enim hae sive Zythi, sive Vini species dulcium, ac crassiorum par-

tium, secus ac mollia, dulcia, crassa, pinguia, ac salita alimenta subinde, prudenterque assumpta iis opportuna, et tuta censent, in quibus nondum morbo correptis alvus citanda est (§. 493.) Fructus item horaei dulces, aut acido-dulces, aut aqueo dulces perfectam maturitatem adepti in victus ratione singillatim expositi, potius sanis (paucis exceptis deinde indicandis) ob satis manifestas rationes, ubi adstricta alvus mollienda sit, quam aegris, si liberaliter queant sine noxa assumi, idonei iudicantur.

1390. Ipsum autem Saccharum, quamvis ob suas vires (§. 1278.), ac praesertim resolventes, relaxantes, et stimulantes alvo movendae par remedium videatur, ac revera ad unam, alteramve unciam, tum speciatim maiori dosi iis propinatum, qui eius in alimentis, ac poculentis usurpandi consuetudinem non habent, eam moveat, hoc tamen fine praescribi iure non solet. Sitim enim infert nimiam, saepe fallit, molestas et magnas inflationes interdum suscitat, acidum in primis viis evolvit, atque urinas loco alvi plerumque sollicitat. Nec Mel, licet demulcentibus saponaceis, laxantibusque partibus abundans saccharo magis eccoprocticum communiter habeatur, commodum remedium est ad alvum expiandam ore sumptum. Lentissime siquidem agit, vel effectu caret, vel parum manifestum edit; obest generatim ubi acor in primis viis occurrat, aut humores ad acescendum proni sint; ac denique valde alienum

est, atque evidenter nocuum iis, qui vel stomachi, intestinorumque imbecillitate laborant, vel flatibus obnoxii sunt, aut iam distinentur: quae duo saepe occurrunt.

1391. Nec multi hodie fiunt ob easdem fere caussas ad alvum satis reserandam non ita pridem apud nos leni, et certa virtute, atque usu probatissimi Syrupi Rosarum, et Violarum tum Simplices, tum Solutivi: qui sane vim praecipuam a Saccharo, aliisve additis mutuantur. Nam aliquam revera purgantem vim erogare syrupo flores *Rosae centifoliae* seu Rosae damascenae, aut pallidae verisimillimum est, quoties recentes probe infusi, ac macerati usurpentur, praesertim sub iterata, et cohobata, ut dicunt, infusione Saccharo adiiciantur, sicuti usu venit ad Syrupum rosatum solutivum, seu Rosarum pallidarum, quod unum ex saccharo, et florum infusu confectum satis erit retinere eo, qui in Insubriae Officinis occurrit nimis compositus, tandem reiecto. Ut enim istis floribus aliquam purgantem facultatem tribuam, qua in fervidissima aqua apte infusi sine ullo additamento alvum solvant, in calidis praesertim regionibus, experientia, atque omnium aetatum consensio postulant.

1392. Item non omnino denegandum videtur flores *violae odoratae* seu Violae vulgaris mucilagineos, et leniter amaros succi, aut saturi infusus modo adhibitos alvum laxare, ac, demptis calycibus, aqua maceratos, ac dein expressos, additosque saccharo Syrupum

ſuppeditare ad alvum ducendam non inutilem. Hic interim Syrupus Violae, seu Violarum ideo ſuperfluus a multis Scriptoribus iudicatur quia ob nimis exiguam vim ad alvum leniendam unciatim, ut alias fieri consuevit, ſemper debet praescribi; in aphtis vero infantum, atque in morbis faucium, et pectoris ſi linctus, aut gargarismatis forma, vel aliis modis usurpetur, proprii nihil oſtendit. Quemlibet purum Syrupum eadem commoda afferre obſervant. Verum ob saporem pleriſque gratum poterit adhuc retineri; ac potius praestabit e Medicamentariis Insubriae Officinis eiicere Syrupum Violarum ſolutivum, qui plane inconcinnus purgandi potentiam ab aliis remediis, ac ſpeciatim a foliis Sennae accipit, dum interea huius vires eneruat, nec vitia corrigit.

1393. At de Manna dicatur, quae, ſive originem, ſive innocuam principiorum indolem, ſive lenem agendi rationem, ſive eius efficacitatem, atque actionis conſtantiam ſpectemus, eximium plane remedium alvum ducens exiſtit. Hoc quidem nomine generatim complecti alias conſueverant Succi dulces diverſarum Arborum, variorumque fruticum vi caloris ultro erumpentes, atque eorum corticibus adhaerendo concreti, cuiusmodi ex *Pini, Iuglandis, Salicis, Mori, Pruni, Quaercus, Hedysari, et Cisti* quibusdam ſpeciebus in variis regionibus colliguntur. Hinc Manna Arabica, Perſica, atque alia quaevis minus nobis cognita emergit. Speciatim tamen ea voce uti-

mur ad indicandum succum, qui in grumos submolles variae figurae, atque ex albido flavescentes inspissatus, inodorus, dulcis, paullo nauseosus sine acrimonia, in aqua, praesertim calida, aeque, ac in Alcohole solubilis, vi ignis spumescens, inflammabilis, et flagrans in Sicilia, ac Calabria e *Fraxino excelsiori*, e *Fraxino rotundifolia*, ac maxime e *Fraxino orno* extillat. Succus hic, qui sponte pauca copia erumpens inciso communiter cortice trunci, ac quibusdam in locis etiam ramorum, calida et sicca tempestate existente, abunde prodit, pro vario, quo colligitur modo, ac dissimili puritatis gradu, sua habet discrimina.

1394. Manna porro per se exsudans dicitur Spontanea, quae ubi e tenerioribus ramis arboris prodeat, ac nullis inter erumpendum quisquiliis inquinetur purissima, dulcis, atque albida (secus sapore, et colore diversa) saccharum aemulatur, atque iisdem nisi tam rara esset, usibus suffici posset. Quae vero incisione copiosior exstillans dum ubertim effluit appositis vulneri frustulis, et straminibus sensim adhaerendo densatur, ac postea istis exemptis cannulas refert, ac satis pura est, albida, aut ex albo levissime flavicans, Cannulata nuncupatur. Tertia Mannae species est, quae crassa, aut vulgaris audit, quae e cortice, cui adhaeserit post aliquot dies evulsa, vel alio modo ad pedem arboris depluens collecta massas variae magnitudinis, et figurae refert granis varii coloris interspersas, ac sordibus admixtas: e qua quidem

Mannae specie quae maiora, albidiora, et leviter flavicantia grana, aut frustula probe selecta, atque a quisquiliis purgata eam Mannae speciem constituunt, quae Electa vocatur. Denique Sordida illa dicitur, quae humida, grysea, aut brunea foliis, festucis, arenulis, aliisve rebus inquinata, sive ex antecedentibus, inquit apposite SPIELMANNUS (*a*), senio, „ vel aliis rationibus corruptis, sive evidenter „ ex saccharo, et melle, quibus aliquid Man„ nae, non raro etiam Scammonei adiiciunt, „ arte parata est; hinc omnino ex Officinis „ proscribenda ». Caeterum hae, ubi Mannam vere Electam habeant, reliquis speciebus, aut varietatibus poterunt carere. Etenim Spontanea a saccharo virtute non discrepat, et Cannulata electa minus purgat: quod erat monendum cum quidam non pauci sint Medicorum, qui nesciunt fere divitibus, et splendidis Mannam praescribere nisi Cannulatam palato minus invisam praescribant.

1395. Ex principiis autem Mannae, etsi non satis evolutis, nimirum saccharinis, mucilagineis, atque acidis perspicue intelligitur quomodo dum alvum laxat sine molestia operetur, aestum contemperet, crassos humores resolvat, putrescentes coerceat, acres obtundat, et demulceat, ac contractis, rigidisque partibus laxitatem impertiatur. Qui quidem

(*a*) Mat. Med. pag. 623.

providi, ac salutares Mannae effectus rursus ostendunt, eam tutissimum, utilissimumque alvum ducens medicamentum generatim largiri, ac speciatim in morbis inflammatoriis, catarrhalibus, et rheumaticis, in febribus acutis, ac suppuratoria variolarum, in dysenteria incipiente, ac similibus affectibus. Commodissimum praeterea remedium est quia cuiusque idoneum aetati, ac temperamento, ut omnes Medici tradunt, ex eo aptius fit, quod variis infusis, decoctis, potionibusque solvi queat; aut succo Citri, Syrupo acidulo, vel alio quovis additamento sumentis palato accommodari; aut cum aliis rebus, liquoribusque ita admisceri, ut, inscio aegro, sine nausea sumatur; ac demum acui pro vario aegritudinis statu, aut Medentis consilio additis, modo Salibus amaris catharticis, modo Tamarindis, modo Rhabarbaro, et Senna, modo aliis opportunis medicamentis.

1396. Quamquam interim plerisque Manna conveniat, ac tuto auxilietur, aliquot tamen vitiis obnoxia est, atque exceptionibus, quibus eadem nequeat contra quorundam sententiam omnium aegrorum rationibus conducere. Quando scilicet flatus adsunt, stomachus, atque intestina laxitatem, imbecillitatemque prae se ferunt, aut Roborantia requiruntur, aut acor in primis viis evolutus occurrit, tunc aliena, aut nocua ad alvum ducendam Manna esse solet, quoniam laxat, debilitat, ad fermentescendum pronissima est, ac novum acidum suppeditat. Quamobrem, ubi tum movere al.

vum oporteat periti Artificis est vel ad alia Purgantia confugere, vel ope infusus ex seminibus Anisorum, aut ex seminibus Citri, sicuti commode hic loci passim fit, aut ex Amaris stirpibus, leniterque stimulantibus, vel aliquo miti aromate eam quodammodo corrigere, vel cum Rheo praebere aliis unitam medicamentis, quae mala ab eius in fermentationem proclivitate ſutura avertant.

1397. Propinatur Manna iuxta quosdam Materiae medicae Scriptores, quos nonnulli Medicorum sequuntur, a media uncia usque ad quinque, aut sex: quam quidem dosim probare non possum. Nisi enim ab uncia, aut sesquiuncia ad duas, rarissime ad tres, ad alvum laxandam sufficiat, praesertim a sale aliquo medio idoneo a duabus drachmis usque ad sex addito opportune adiuta, maiori copia nimis inflat, laxat, atque acido suo, aliisque modis nimium officit, ut debeat praescribi. Aliam enim naturam, aliamve agendi rationem habentia Purgantia tunc adhibenda erunt; nisi satis illa conveniant, quae eam cum aliis salibus, aliisve habent, ut I n f u s u m l a x a t i v u m D a n i c u m, aut A q u a M a n n a g e t t a e, I n f u s u m l a x a t i v u m V i e n n e n s e, seu A q u a l a x a t i v a V i e n n e n s i s, aliaque similia, quibus non utimur quovis in casu idoneas formulas extemplo rectius praescribentes. Qua etiam methodo praecavetur, ne Mannae infusum multo ante, quam aegro exhibendum sit, praeparatum fermentationi obnoxium evadat; quemadmodum in calidis regionibus ac-

state citissime accidit ob pronissimam, qua Manna donatur, ad fermentandum naturam. Cui quidem incommodo patent Electuarium de Manna, Syrupus Mannae solutivus, et Looch de Manna, quod Oleum amygdalinum, et gratus Syrupus ingrediuntur. Nobis idcirco haec inusitata sunt, non secus ac Manna tabulata, et Morsuli Mannae tartarisatae quae tamen singula Mannae Composita tum purgandi fine abunde sumpta, tum tenuandi, et demulcendi caussa Exterarum Gentium Officinae adhuc servant.

1398. Lenius adhuc Manna alvum movens, atque egregie refrigerans, et temperans medicamentum e legumine educitur procerae Arboris in India, atque in Aegypto sponte crescentis, atque in variis Amaricae calidioris provinciis excultae quae *Cassia fistula* vocatur. Ea siquidem siliqua fere cylindrica, modo recta, modo incurva ab uno pede ad duos usque longa, atque unciam lata, ex arbore avulsa viridem colorem exuens, pristinamque mollitiem, unde fusca, dein nigra, dura, lignea, ac fragilis evadat, inter septa transversim posita, quibus distinguitur, medullam cum seminibus, seu pulpam occludit nigram, ac fere instar mellis concreti spissam, et dulcem, ubi integra, atque optimae notae siliqua sit. Nam nimis vetusta, valde rugosa, resonans ob intus exsiccatam pulpam, et nimis levis exhibet eam acidam, acrem, mucore obsitam, aut alieno prorsus sapore prae-

ditam, ac mitissimis iis qualitatibus spoliatam, ob quas eadem in Officinis Cassiae nomine donata tum alvo ducendae, tum aliis effectibus praestandis idonea, atque in morbis quibusdam commodissima a Medicis iudicatur.

1399. Eiusmodi materiem e contuso legumine eductam, in fermentationem pronissimam esse; facile acescere; Aqua facilius quam Alcohole solvi; atque extractivis, mucosis et saccharinis partibus constare, quibus sal essentiale intermixtum esset, Materiae medicae Scriptores communiter tradere hactenus consueverunt. Verum nuper eiusdem principia, ac veram compositionem, atque indolem, accuratissima investigatione suscepta, melius longe, pleniusque patefecit Cl. VAUQUELINIUS (*a*) ostendens Cassiae pulpam componi aqua, materie parenchymatosa, glutine, gelatina, quae valde abundat, gummi, extracto, ac saccharo, e quibus vi caloris, praeter fluida gastica Vegetalibus communia, copia non exigua Acidi pyro-mucosi assequi licet. Ex eo item quod Cassiae vario in statu se habentis, aut Extracti in officinis Galliae prostantis qualitates, ac principia expendens saepe invenerit admixtum non parum *Oxydi cupri* a vasis ex hoc metallo conflatis accepti, in quae Cassiae pulpa fuerat demissa, ac ge-

(*a*) Annal. de Chimie. Tom. VI. pag. 275.

neratim viderit hanc ob nimiam ad fermentescendum pronitatem suam indolem quam facile, et cito immutare, duo sequuntur, quae Medicamentarios Artifices in primis respiciunt. Unum est, ne unquam ad extrahendam, aut conservandam Cassiam cupreis vasis utantur; alterum, ut eam non extrahant nisi quando aegris propinanda est, imo ipsa legumina frigido, ac sicco loco constanter detineant. Illud enim cautionis genus colicas, aliaque mala futura avertit; hoc impedit, ne fermentationem passa aliam indolem, aut vim prodat.

1400. E contusis autem siliquis materies educta, ac per setaceum, ut a seminibus, ac septis liberetur, traiecta, ubi nulla alia re admiscetur, et purissima est, Pulpa, aut Flos Cassiae proprie dicitur. Quae vero e contusis, et coctis siliquis cum aqua est, ac per cribrum trasmissa ope Sacchari ad certam densitatem redigitur, vel iterum lenissima coctione, minori addita Sacchari quantitate, in Mellis spissitudinem densatur Cassia cocta nuncupatur. Illa magis refrigerat, et temperat; haec alvum efficacius ducit, quoniam inter coquendum lignosa fructus pars, quae vere purgantem facultatem habet, sua principia cum aqua communicat. Num vero eadem siliqua pulpae, quam occludit, hanc suam proprietatem ita tribuat, ut eadem hoc ipso queat fructibus aliis, qui principiorum indole parum admodum discrepare videntur, ubi alvus laxanda sit, ante-

cellere ; sunt qui a Cl. VAUQUELLINO id quoque determinari voluissent.

1401. Quamquam vero eiusmodi eccoprocticum medicamentum qualitatum, ac principiorum ratione, cui experientia consentit, in morbis inflammatoriis, in febribus, aliisque affectibus cum nimio calore, aestu, ac bilis vitio coniunctis valde opportunum, atque apprime conveniens iudicetur ; attamen ut alvum ducens hodie minoris fit, nec quidem immerito. Nam, praeterquamquod pauci admodum ferunt sine nausea nimiam eius dulcedinem, ad unam, alteramve unciam data (quae sane dosis requiritur, ut certo in opportuna indicatione alvum moveat) molestissimas ventris inflationes non raro suscitat, nauseam plerumque movet, atque in multa etiam aquae copia soluta in primis viis ea excitat, ob quae in iisdem fermentescere a quibusdam dicatur.

1402. Soleo proinde quam raro hoc medicamento ad alvum ducendam uti, ac caute etiam assuetis concedo istud remedium, quod interim, ut de Refrigerantibus disserens monui, aliis usibus commodat. Quare licet apud nos non adeo Cassia abutantur nunc Medici, quemadmodum alias nimium abuti Proceres Artis dolebant, improbo tamen eorum morem, qui ei adhuc multum tribuunt, quando debilibus, gracilioribusque alvum laxans medicamentum propinandum est, ac proinde fidenter, nunc quotidie, nunc alternis diebus, ut ardorem temperent, ut acritudines, quas sibi confin-

gunt, corrigant, atque una alvum ducant, Cassiam exhibent. Hoc quippe modo vim stomachi non firmi summopere enervant, atque intestina ita relaxant, ut digestionem laedant, ac mala vel inferant, vel augeant, quae sive stomachi, sive totius corporis infirmitas parit. Credunt quidem nonnulli vitia Cassiae averti additis Aromaticis, Amaris, vel promptam, efficacioremque ad alvum ducendam effici additis Rheo, Senna, ac similibus, vel resolventem reddi adiectis Salibus mediis alibi propositis. Verum si excipimus additos Tamarindos, aut succos inspissatos Cichorei, vel similium stirpium saporem corrigere, ac paullum prohibere, ne inflationes moveat, caetera passim usurpata additamenta qualitates remedii non emendant, quin ei eas una adimant, aut saltem invertant, atque enervent, ob quas eadem et proficit, et a Medicis solet propinari. Ob quam quidem caussam, dum raro nostris iam diebus a maioribus Clinicis praescribitur Flos cassiae, negliguntur prorsus Electuarium de Cassia, Conserva Cassiae, aut Diacassia, atque alia ex ea, aliisve medicamentis Composita prorsus inconcinna, quae Pharmaceutici codices nobis adhuc exhibent.

1403. Succedaneum Pulpae Cassiae remedium ad alvum molliendam Vulgus hic maxime loci arbitratur, et crebro usurpat Pulpam Prunorum demptis nucleis coctione in aqua praeparatam addito melle, aut Saccharo quam petit ex prunis Damascenis,

quae nobis varietas cuique notissima *Pruni domesticae* abunde praebet. Ea scilicet Pulpa est, quae (ad usitatissimam olim, nec hodie hic plane exoletam Conservam Cassiae Donzelii parandam recepta) Pueris, atque Adultis caetera nauseantibus, ac praesertim Cassiam, et Tamarindum, non infrequenter ad duas, tresve uncias tamquam domesticum potius, quam Officinarum remedium exhibetur. Per se tamen non minus refrigerandi virtute, quam vi alvum laxandi cedit Pulpae cassiae nisi aliis acuatur remediis, quae eius inertiae in agendo, atque inconstantiae suppetias ferant. In hunc finem Sennae folia adiiciunt; male tamen, quia aliam indolem, ac torminibus, inflationibus, aliisque incommodis inferendis idoneam ei tribuunt. Rectius potius ei *Tartrites acidulus potassae*, atque *Acidum tartarosum adderentur* si, quemadmodum haec duo videntur iam mihi, et Cl. MARABELLIO nostro, hanc ipsam Pulpae Tamarindorum quo ad principia, ac qualitates quam proximam reddere, eam pariter sive ad eandem virtutem, sive ad parem efficacitatis gradum eveherent: quae coniectura, nunc quaero, an experientiae respondeat.

1404. Tamarindorum nomine intelligimus pulpam subnigram densam, plus, minus acidam, duris seminibus, ac filis quibusdam admixtam, quae e fructu, seu legumine oblongo, compresso, parum incurvo arboris Indiae Orientalis, Aegypti, atque Arabiae indigenae, ac nunc in America excultae, seu

Tamarindi indicae iam educta ad nos deportatur. Quae utinam vel aliis admixta fructuum pulpis, vel diligentius servata, vel in vasis cuprum habentibus iam sub itinere occlusa, vel alienis rebus adulterata nunquam deportaretur, ac proinde eas referret bonitatis notas, atque, ob manifestam dulcedinem acore contemperatam, eam gratiam saporis, ob quam Indi volupe fructum edunt, aut aquam soluta pulpa conditam gustu iucundam ad corporis aestum mitigandum, atque ad sitim extinguendam avidissime hauriunt. Tamarindi pulpam subfulvam seminibus aliquot figurae ratione, et magnitudinis a vulgari distinctis interspersam, dulci et grato admodum acore donatam, ac visu, et gustu apprime iucundam nuperrime accepi, tamquam e legumine ducta esset arboris, quae non ad cognitas *Tamarindi indicae* varietates spectaret, sed aliam eius speciem constitueret. Quae quidem opinio quid veri habeat, quidque haec pulpa, quo ad principia, vires, atque usus discriminis afferat, cum modo quaeram, nunc solum dicam quae ad vulgarem Tamarindum pertinent.

1405. Eiusmodi Pulpa rite purgata, atque apta dosi exhibita in morbis inflammatoriis, reliquisque acutis, maximeque biliosis, putridisque eximium indole sua, ac Cassia utilius alvum ducens medicamentum praebet; quoniam alvum sine flatibus, sine torminibus, ac sine nausea sollicitat, ac dum sitim, ac calorem pariter moderatur, saponaceis partibus,

resolvit, antisepticis nidorosas cruditates cohibet, ac putredini adversatur, stomachum, atque intestina inducta laxitate non debilitat, imo acida sua leniter adstrictoria qualitate confirmat. Haec siquidem praestat commoda dum alvum molitur, quam sane melius expedire mihi videtur si copioso Sero lactis dilutum sumatur. Passim siquidem experior in una libra, aut sesquilibra eiusdem seri solutam unam unciam Tamarindorum, et tepide in duas, tresve partes divisam aptis intervallis sumptam generatim sufficere ad alvum laxandam in Adultis, in quibus per se etiam ad duas uncias datus Tamarindus eam saepe non movet. Quare ubi adeo dilutum Sero non conveniat remedium, ne tantum eius fiat dispendium, solent Medici additis Salibus mediis vim eius acuere, aut Mannam ei addere, ne dicam alius admixtiones remediorum, quibus quidam purgandi facultatem student intendere, quas ego non probo. Nisi enim ad temperandas, vel ad invertendas qualitates Rhabarbari, Sennae, ac similium, Tamarindos istis adiiciant, horum augere purgantem vim sine reliquarum detrimento, ob quas praesertim iidem conveniunt, frustra sibi pollicentur. Hinc Electuarium Tamarindorum, ac Electuarium Catholicum iure exoleverunt.

1406. Ob has quidem eximias vires inter Alterantia medicamenta eminent quoque Tamarindi, quoniam copia multa sive Aquae, sive Seri vaccini soluti in modum fere quotidiani potus usurpati toties aegris omnibus,

quorum natura aut morbus, aut stomachi ratio acidorum usui non repugnent, apprime conducunt, quoties temperantis, antiseptici (§. 984.) atque abstergentis remedii usu indigeant. Has enim vires omnes in morbis Tamarindi ostendunt, quae plane principiis, aut partibus, ex quibus componuntur, respondere, rectius, quam alii praestiterant, nuper Cl. VANQUELINIUS demonstravit (*a*). Cum enim Tamarindos ostenderit, componi Tartrite acidulo potassae, mucilagine e seminibus lini eductae simillimae, saccharo, gelatina, acidis citrico, tartaroso libero, et malico, atque aqua cum particulis aliquot residuis; ostendit simul iis rebus componi, quibus allatas vires Medici referunt. Neque ob haec tantum revelata ille Auctor de Materia medica optime meruit, verum etiam ex eo quod ostendens ab acidis Tamarindos componentibus citrico, et malico pleraque Salia media resolvi, quae istis ad vim acuendam a Clinicis addi frequenter solent, ac tunc Tartritim acidulum potassae seu Cremorem Tartari emergere, qui ad fundum vasis decidit, eos opportuna animadversione cautos reddiderit in eorum praescriptione. Cura nimium in eo esse debet, ne Tamarindi additione remedia caetera resolvantur, neve ex iisdem resolutis Tartritis acidulus in fundo vasis haereat quin ab aegro assumatur.

(*a*) Annal. de Chim. T. V.

1407. Ab iſtis alvum ducentibus, de quibus hactenus dixi, ſermo duci ſolet ad Sales qui purgationis cauſſa vel proponuntur, vel adhibentur. Silentio quippe praeteriri ſolent ii Fructus drupacei ex Orientalibus Indiis allati, qui auſtero, ac leviter amaro ſapore praediti ad dimidiam drachmam in pulvere, atque a tribus drachmis ad unciam, vel ultra in infuſione ad alvum leniter ducendam Arabum more alias non infrequenter apud nos etiam adhibiti, nunc, cum ſaepe fallant, nil ſingularis habeant, ſaepe corrupti ſint, ac ſaltem ſupervacanei exiſtant, plane exoleverunt. Mirobalanos intelligo quinque numero, nempe Emblicas, Belliricas, Citrinas, Chebulas, atque Indicas, quarum origo, exceptis Emblicis, quas *Phyllanthus emblica* profert incognita adhuc, recte animadvertente MURRAYO (*a*) Botanicis eſt. Quare cum neque ad alvum ducendam probentur, neque roboris, atque adſtrictonis cauſſa ad ſiſtendam dyſenteriam, aut diarrhoeam magis fieri poſſint, neque ad Confectionem, ſive Anacardinam, ſive Hamech parandam, utramque veluti prorſus inconcinnam exoletam, inſervire debeant, puto eaſdem Mirobalanos Officinis medicamentariis in quibus adhuc occurrunt, oneri quidem, non ornamento eſſe.

(*a*) App. Med. Vol. VI. pag. 235.

1408. Itaque accedam ad Sales, quorum alii raro, alii non infrequenter, ac quidam creberrime ad alvum movendam usurpantur. Et re quidem vera salis illae species quae ad *Sulphatem potassae* referuntur, ut sal Polychrestus, Tartarus vitriolatus, Sal de duobus, atque Arcanum duplicatum, vel ad *Tartritim potassae*, ut Tartarus tartarisatus, et Tartarus solubilis, vel ad *Acetitim potassae*, ut Terra foliata tartari, et Tartarus regeneratus; itemque sales Alcalici fixi methodo TACHENII praeparati aut purgandi fine non adhibentur, aut tantum Purgantibus ad unam, alteramve drachmam adiiciuntur, ut resolvendi vis istis accedat, aut iam in iisdem praesens certior, efficaciorque reddatur. Neque *Tartrites acidus potassae* seu Tartari cremor, si plerosque Therapeutices Scriptores sequimur, istis magis fit apud reliquas Gentes ad alvum ducendam; cum ad ciendas urinas aptiorem iudicent, aut ad resolvendum, vel cum aliis Purgantibus exibeant, vel istis partitis vicibus anteponant, quando praestat iisdem praemittere aliquid quod tenuando, et resolvendo viam eorum actioni paret, atque expediat. Interea apud nos domesticum iam remedium non semper probandum ad alvum ducendam ad sex, octo, aut decem drachmas iam evasit, licet saepe soleat loco alvi urinas ciere, ac non expeditissime eam satis ducere.

1409. Itaque inter Sales ad alvum movendam in usum potissimum veniunt qui Amari, ac Cathartici vulgo appellantur, atque in-

ter hosce omnium usitatissimus iamdiu inclaruit ille Sal, qui ex Magnesia tamquam basi Acido sulphurico unita emergens *sulphas magnesiae subaeris*, atque amaricans, a sapore Amarus, ab effectu Catharticus, atque a loco, et regione, in quibus e Mineralibus aquis eruitur, ac praeparatur Epsomensis, aut Anglicus dicitur. Etenim a media uncia ad unam, vel ad sesquialteram apto liquore solutus alvum movet. Nec diverso modo operantur Sales reliqui amari ex Medicatis fontibus pariter educti, qui cum Anglico sale plerumque conveniunt, ut Egranus, Sal thermarum Carolinarum, ac fortasse Sedlitzensis. Fortasse, inquam, nam praeter *Sulphatem magnesiae* in fonte Sedlitzensi Sulphatem sodae pariter adesse, contra quam plerique Chemicorum cum MAQUERIO tradiderant, novissime susceptae analyses innuere videntur. Caeterum cum inter eiusmodi Sales, quo ad vires, nullum verum intercedat discrimen, iisdem uti quisque poterit promiscue, atque Epsomensis loco usurpare. Quod etiam de Aquis ipsis fontium amaris generatim valet, quae ab eodem sale vires habent, si paucae excipiantur, quae alia quoque Fossilium principia simul vehunt.

1410. Nec hodie minus fit a sapientioribus Clinicis sale Epsomensi ad alvum ducendam *Sulphas sodae* seu sal ille quem cum primus detexerit GLAUBERUS, ac mirabilem nuncupaverit, Sal mirabilis Glauberianus in Medicamentariis officinis adhuc vocatur. Hic quidem sive naturalis sit, sive factitius eas-

dem semper qualitates ostendit, easdemque exerit vires, ob quas datus a tribus drachmis ad sex, octo, vel ultra alvum commode ducit, quin nauseam, dolores, aut tenesmum faciat; quemadmodum passim experior. Quae profecto incommoda non raro sub usu salis Epsomensis praesto sunt, qui interdum anxietatem, ac dolores suscitat intestinorum, forte, ut animadvertit VITETUS, ob impuritates, aliasve ſossilium particulas, quibus aliquando scatet. Quare mirari subest tam paucos Medicos esse, qui Glauberianum salem factitium expedito opere, ac levissimo pretio apud nos etiam parabilem exhibeant, ubi alvus ducenda salibus sit, ac tum huic, tum Epsomensi anteferant Salem mutinensem, vel quemlibet alium persimilem, quasi virtute diferret, imo mitius, ac certius ageret.

1411. Quamquam autem Glauberianus sal multis aliis accommodatior ad alvum movendam ex eo etiam videatur, quod non multa aqua indigeat, ut in integrum solvatur, non desunt nihilominus, qui eius, aut similium loco proponant *Tartritim sodae* seu Salem Segnette, qui etiam Rupellanus in Officinis vocatur. Profecto cum hicce Sal sapore salso non grato donatus, qui sicco aeri expositus in album pulverem fatiscit ac in aqua calida magis, quam in frigida solvitur, ut reliquis proprietatibus donatur Salium mediorum, qui ex Tartaro parantur, ab horum item viribus, ac praesertim Tartari solubilis nullatenus dissentire videtur. Singulares proinde corruunt facultates,

quas nonnulli cum SEGNETTIO eidem adhuc tribuunt. Nam revera leucophlegmaticis, renum vitio obnoxiis, calculosis, ac recenti viscerum, quae in abdomine sunt, obstructione laborantibus auxilio solummodo est ob vim, quam exerit urinas ciendi, spissos humores tenuandi cum caeteris salibus mediis communem; alvum vero a drachmis tribus ad sex, aut ultra exhibitus ea plane vi, ac modo ducit, quo reliqui affines Sales moliuntur.

1412. Verum dum Sales hactenus indicatos ad alvum ducendam propono, non eo quidem animo propono, ut tradam in quovis casu, ubi ea molienda sit, eos indiscriminatim usurpari oportere, quasi perpetuo tutum, atque utilissimum auxilium suppeditarent. Longe enim absum, ut id cum quibusdam inconsiderate defendam cum sciam ita saepe eorum usum convenire, ut etiam interdum vel parum efficax, vel alienus, aut nocuus existat. Conveniunt Purgantia e Salibus petita quando humores spissitudinem, ac lentorem adepti, aut durae et tenaces faeces incidi debeant, ac resolvi. Prosunt quando ob nimiam serosarum, aquearumve partium copiam, ut in leuphlegmaticis, atque hydropicis accidit, utile est eo remedio, quo alvus molitur, tentare, ut deinde post alvi deiectionem urinae incitentur. Proficiunt item in viscerum, et glandularum obstructionibus, in ictero ab occlusis ductibus bilariis, in lacteis mammarum congestionibus, in nimia lactis secretione, aut methastasi ad quamque corporis partem, atque

in affectibus reliquis ab hac caussa profectis. Denique expediunt obesis, oedematosis, parum sentientibus, atque iis commodant, qui reliqua quaelibet Purgantia remedia aversantur, vel assumpta reiiciunt, aut molestissime ferunt.

1413. Minus recte autem Sales deiectionis caussa propinari censentur, docentibus Therapeutis, praesente vera, nec levi alicuius visceris inflammatione, maximeque alieni, et valde nocui existunt, si eadem ventriculum, intestina, aut urinalia organa vel corripuit, vel tentet. Iis generatim aegris officiunt, qui ob nimiam irritabilitatem, aut sensilitatem partium, vel ob praegressam convulsivam, aut spasticam passionem a levibus etiam irritantibus laeduntur. Nec iis conducunt, qui fibrarum rigiditate laborant, vel ob insignem humorum inopiam valde macri, atque exsucci sunt. Demum a plerisque iudicantur ad alvum ducendam non accommodati, nec vitio immunes, ubi ex nervorum mobilitate, aut ex quacumque caussa debilitas praesto sit, dum alii interim hoc etiam in casu tutissimi usus existimant.

1414. Illi nempe nervos inde moleste affici, ac maiori imbecillitate sromachum, atque universum corpus opprimi affirmant; dum isti nihil mali ab iisdem Salibus evenire contendunt: quibus postremis Ill. Quarinius, cuius auctoritas apud me magna semper erit, assentitur, affirmans Litteratis Salia prospero sane eventu cum Boerhaavio se praebuisse tum

ob alias, ut inquit, caussas, tum ob hanc potissimum, quod iis sumptis rarius sequatur alvi obstructio, quam alia Purgantia post se relinquere solent. Verum, si mihi licet quod sentio libere proferre, dicam sane observatione suffultus a Salibus amaris ad alvum expiandam graciliores, sensilioresque, in quorum numero veniunt litteris dediti, atque una est magna pars urbanorum, non utique laedi si multa vel aquae, vel iuris copia soluti, ac diluti sumantur, ac pauca quantitate ad alvum ducendam sufficiant; iisdem vero obesse quando utrumque vel negligitur, vel servari non potest.

1415. A Salibus nunc progredior ad ea Purgantia quae, sive maiori stimulo praedita, sive alio quovis singulari actionis principio donata, validius agunt: quorum pleraque, nisi omnia, ad Mediocria cathartica perperam possent revocari ubi ultra consuetam, quae tuta ac satis efficax habetur, dosim propinarentur. Quod quidem ex spectata singulorum natura, atque effectibus dubio procul patebit. Sunt eiusmodi speciatim quae ex vario Stirpium ordine, varioque item genere sumpta Rheum, Senna, atque Aloe vocantur. Ex Oleraceis *Rheum* varias species sistit, inter quas *Rheum rhaponticum* seu Rhaponticum in Thracia perenne, atque in hortis apud nos cultum radicem Officinis praebet quatuor fere pollices longam, mediocriter crassam, est exterius fuscam, interius albo luteam, inodoram, aut levissime Rheum verum redolentem, cuius prae-

terea saporem adstringentem, amaricantem, et nauseosum ita aemulatur, ut viscosi aliquid aut dulcedinis nauseabundae in ore relinquat, ac similiter dentibus confecta salivam luteam reddat.

1416. Alias proinde non infrequenter in usum veniebat Rhaponticum, quoniam in pulvere a duobus scriptulis ad drachmas duas, atque in infusione a binis drachmis ad quatuor, aut quinque exhibitum, dum alvum deiicit, commodam etiam, atque efficacem adstringendi, ac roborandi facultatem ostendit. Hinc in alvi fluxibus a seri, et bilis vitio, atque a ventriculi, intestinorumque laxitate ortis tum Rhabarbaro suppar, tum huic etiam a quibusdam praestantius habitum olim est; quo magis mirari soleo apud nos ita obsolevisse, ut in plerisque Officinis non amplius occurrat. Non necessarium quidem videbitur cuique reputanti eius vires omnes Rheum verum possidere, ac minori datum quantitate, ad dimidium nempe ponderis, eas exerere; at nihilominus consideranti radicem Rhapontici facile apud nos excolendi longe minori pretio constare, eam diligenter ita exsiccari posse, ut nihil efficacitatis amittat, quorundam stomacho, qui roborandi caussa sumpserunt, Rhabarbaro aptiorem non raro extitisse, non semper hoc ipsum eiusmodi occurrere quod ei multum antecellat, ac demum, ubi optimum et parum sumptuosum occurrit, magni adhuc fieri, ut Rutheni Medici faciunt; videri mecum fortasse poterit

non oblivioni tradendam, imo interdum in aegrorum, praesertim pauperum, utilitatem usurpandam esse.

1417. Potius nec miror, nec doleo si Rhabarbarum, aut Rheum Monachorum, alias usitatum ad alvum ducendam, atque ad ventris profluvia cohibenda, nec hodie insolens apud montium Incolas remedium, obsoletum hic loci plane sit. Nam radix hoc nomine donata, quae ex *Rumicis* genere sumitur, nimirum e *Rumice alpino* frequentius, quam e *patientia*, vel ex *aquatico*, quominus succedanea Rhabarbaro vero prorsus habeatur, ut opinio olim ferebat, licet adstringens, ac leniter eccoproctica sit, per se iam monet manifestum, quod inter utramque radicem qualitatum, ac principiorum animadvertitur discrimen, quin dissimilitudo ex effectibus ipsis deducatur. Horum quippe ratione non modo Rhabarbaro plurimum cedit, nec omnes eius vires exhibet, verum etiam nequit, sive efficacitatis, sive virtutum omnium modo iure Rhapontico suffici.

1418. Usitatissima contra ad medendum illa est ob virium praestantiam nota cuique radix e *Rhei* genere ad Oleraceas stirpes pertinente sumpta, Rhabarbarum, aut Rheum verum vocata, a Rheo DIOSCORIDIS diversa, atque Arabum cura ad alvum ducendam, et plures aegritudines curandas feliciter traducta, quae nostris etiam diebus Botanicis caussam disputandi praebet, dum ex itineratorum, qui Chinam, proximasque regiones peragrarunt

narrationibus inter se subinde pugnantibus student eruere e qua nam ipsius Rhei specie omnium praestantissima Rhabarbari Officinarum radix proveniat. Horum siquidem omnium argumenta, ac testimonia ad trutinam revocare, absque aequa lance expendere, ac potissimum quae ILLUST. PALLAS, GIORGIUS, MILLERUS ac BELLIUS attulerunt, cum summa cura studuisset Vir immortalis memoriae MURRAYUS subtile, quo pollebat, his rebus videndis iudicium frustra adhibuit (*a*). In tanta enim, quae occurrit rerum confusione, ac sententiarum diversitate certo definire non potuit, licet ad *Rheum palmatum* radix Rhabarbari Officinarum communiter referatur, utrum huic potius an *undulato*, cui Rhabarbari sibirici radix Ruthenis usitata adscribitur, an *compacto*, an *hybrido* referenda eadem sit, numve ea promiscue ex horum omnium radicibus non satis manifesto discrimine distinctis sumatur: quemadmodum nonnullorum sententia est; quae etiam plerisque versimillima videtur.

1419. Neque ea, quae ad tempus effodiendae radicis, atque ad modum attinent praeparationis, cui subiicitur in natali loco antequam in Europam advehatur, ita constituta hactenus videntur, ut liceat tutissime credere cum BERGIO (*b*) in China hyeme radices effodi, atque in taleolas crassas dividi, eas super tabulas mox reponi in umbra, crebroque per diem revolvi, ne viscosus post sectio-

---

(*a*) App. Med. Vol. IV. pag. 358. et seq.
(*b*) Mat. Med. n. 213.

nem succus extillans defluat, sed sensim absorbeatur, et concrescat, deinde transactis fumiculo in aere libero, itemque loco umbroso suspendi, easque exsiccatas tantum ponderis amittere, ut ex recentis radicis septem libris vix una, alterave exsiccatae obtineatur. Etenim radices mensibus Aprili et Maio effodi, atque eas tantum, quae maiores sunt, secari, atque in frusta dividi Ill. Pallas diserte tradit (a), exsiccationem generatim curari tabulis lapideis, quibus impositae sunt radices, igne substrato, ac vehementi deinde Solis ardore adhibito Duhaldius testatur; non semper umbroso loco suspendi, vel arboribus scilicet, vel tentoriis, at cornubus ovium interdum alligari Bellius perhibet; nec omnes radices, aut frustula ipsa maiora perforari, nec in uno tantum extremo foramen ostendere, nec fili tantum transigendi caussa, ut queant suspendi, acu traiecta esse Murrayus observat; dum alii denique tantum, quo ad pondus, detrimenti exsiccatione easdem radices pati non concedunt.

1420. Donec itaque ita omnia plenius, certiusque constituantur, Therapeutices Cultoribus satis erit ea apprime perspecta habere, quae subsidio sunt ad germanam, optimamque radicem Rhabarbari medicis usibus accommodatissimam distinguendam ab alia quacumque male exsiccata, e non satis provecta planta sumpta, nimis vetusta, viribus effoeta,

(a) Reisen Tom. 3. p. 156.

corrupta, vermibus exesa, Curcuma obducta, aut aliis modis adulterata. In hunc finem utilissimum videtur sequi consilium, quod nobis praestitit MURRAYUS, praeferendum generatim esse illud Rhabarbarum quod e Rutheno imperio provenit, ac terrestri itinere ad nos usque advehitur altero, quod ex Orientis regionibus per Natoliam ab Alexandria mittitur Turcicum vocatum, vel proxime e China navibus deportatur. Nam cum in Rutheno imperio lege accuratissime servata cautum sit, ut a Bucharis, qui Rhabarbarum certo constituto anni tempore ex China adferunt, illa tantum frusta, quae meliora, atque optima sunt, emantur, caeteris reiectis, ac crematis, quod ex eadem regione ad nos transmittitur non potest generatim non omnes bonitatis notas referre. „Praerogativam vero, „inquit MURRAYUS omnino meretur Rheum »itinere terrestri transvectum prae Indico, »idque non solum ob explorationem dictam »sollicitam, sed et ideo quod non attrahere »queat humidum maris, in quod Rheum in »universum valde avidum est, nec inquinari »vaporibus mercium aliarum adiacentium; »nec secundum narrationem Cl. BELL solum »Chinae propius Rheo ferendo tam aptum »est, ac illud Bucharicum».

1421. Praeter eiusmodi observationes oportet eas diligenter notas inspicere, quae optimum Rhabarbarum significare Pharmaceutici artifices iamdiu tradiderunt. Optimam porro habent Rhabari radicem, quae, sive

integra sit, palmaris et subrotunda, sive in frustula occurrat variae figurae, et magnitudinis, nunc foramine intime penetrante pertusa, nunc in uno tantum extremo, ut dixi, obvio, mediocriter dura, nec levissima, nec nimis ponderosa, cortice careat; quae exterius flava cum aliqua intermixta rubedine interius particulis varios angulos habentibus contexta ex albo, luteo, roseo, et vix fusco variegata colore Nucem myristicam quodammodo aemuletur; quae odore gravi, fere aromatico, nauseoso, qui rectius specificus, aut proprius dicendus videtur, nunquam destituatur; quae sapore donatur amaro, nauseante, leniter acri, atque austero; quae dentibus confecta non sine quodam sensu stridoris, veluti ex sabulo salivam luteo colore inficiat; quae facile pistillo in mortario conteratur, atque in tenuissimum pulverem cito fatiscat, qui pallide luteus sensim post certum temporis spatium paullo rubescat; quae igne praesertim tentata copiam odoris, ac volatilium partium effundat; quae apto liquore extracta plus utique gummi, at tamen non minimum resinae suppeditet; quaeque demum infusa a Sulphate ferri nigredinem assumat, carnibus cum aqua addita eas potentius Muria, ut reperit Pringleus, a putredine praeservet, atque in pulverem trita affusione calentis aquae ad fundum vasis terram demittat, cui ob hanc saepius affusam albedo accedat.

1422. Singularis ista materies alias neglecta Chemicorum studia ad se non multo pri-

dem traduxit. Cum enim innotuisset eam non exigua copia praesto esse; eo plus abundare, quo melior radix est; atque aetate ita paullatim augeri, ut in frustulo eiusdem radicis diu servatae, referente BERGIO, duas tertias totius ponderis constitueret, in eius naturam inquirere Chemici voluerunt. Selenitim eam esse non arduum fuit cognoscere, eius autem speciem certo determinare non item, cum aliam constituissent quidam, cum Cl. MODELIO Sulphatem calcis, seu Selenitim vitriolicam putantes, aliam caeteri cum Cl. SCHEELIO, qui denegans quidquam Acidi sulphurici in ea terra reperiri, nec proinde Gypsum dici posse, Selenitim tartaream potius habendam iudicavit. Quae quidem opinio, cum non omnibus adhuc probaretur, movit rursus Ill. SCHEELIUM, ut deinde, ea terra penitius explorata, traderet demum ex Acido oxalico, et calce componi. Sed cum idem Auctor acidum illud idem habuerit ac acidum Sacchari adest sane qui quaerat, num pyro-mucosum rectius diceretur.

1423. Sive unum tamen, sive alterum dicas parum refert quando ex eiusmodi perspecta materie licet iam notam tutissimam desumere ad germanum, optimumque Rhabarbarum distinguendum a quovis adulterato, aut non Chinensi, seu Tartarico, ac simul commodum est eiusdem remedii vires, ac discrimina explicare. Cum enim haec materies in radice Rhei in Svecia, Anglia, Palatinatu, aliisque Europae Provinciis exculti desideretur, nonne inde certum desumi poterit indi-

cium ad affirmandum non Tartaricum esse, ac proinde non eligendum quod eadem careat? Nonne huius defectui quisque rectius tribuet quam mucilagini ob arboris, atque ipsius radicis nondum provectam aetatem nimis multae, cur e Rheo palmato in Europa culto petita radix probe etiam exsiccata, quae ad scriptulum, vel ad dimidiam drachmam alvum movet, ad roborandum, atque adstringendum, ut cum BERGIO plures observarunt, parum valeat. Sane sicuti ab odoris, ac volatilibus particulis Rhabarbari vim catharticam cum MESUE, et NEUMANNO Materiae medicae Scriptores deducunt; ita pariter non tam a resinosis, quam a materie illa, de qua hactenus dixi, eiusdem radicis roborantem, ac leniter adstrictoriam facultatem nunc praesertim derivant.

1424. Quatenus autem Rhabarbarum eas omnes vires possidet, atque in sanguinem aliquas suas particulas deducit, quibus confestim rufam reddat urinam, atque interdum diu continuatum cum lacte, et sudore visum fuerit suas qualitates communicasse, eximium medicatricis Artis instrumentum censetur. Porro cum alvum leniter moveat, et resolvat, roboret, atque adstringat in morbis a seri et bilis copia, ac spissitudine, in obstructionibus viscerum, in ictero, in digestionis vitiis a fracto ventriculi, atque intestinorum robore, in cruditate acida, in lenta febre infantium, in colica gastrica, aut biliosa citra inflammationis metum, in chlorosi, ac cache-

xia, atque in ipsa hydropisi cum vitio bilis coniuncta, tum inprimis in diarrhoea, in dysenteria ad ultimum stadium proxima, atque in lienteria usitatum valde, ac proficuum esse Medici communiter docent. Quando nimirum oporteat, sicuti in adductis morborum generibus, ac speciebus plerumque expedit, non solum cacochyliam e primis viis educere, verum etiam discutere, resolvere, acrem involvere humorem, et debiles partes firmare, ac laxas adstringere.

1425. In istis vero morbis Rheum eo utilius evadere Medici communiter docent quod, postquam alvum duxit, eam non fluentem relinquat, at roboret, ac datum deinde partite intra diem, exiguis dosibus quavis vice, atque apte continuatum optimi instar alterantis, ac lenissime evacantis medicamenta operetur. Aptius etiam evadit remedium quod sive in adductis casibus, sive in aliis morbis aptissime admisceri medicamentis aliis queat, quorum beneficio validius, aut promptius ad agendum fiat, aut quaedam vitia exuat. Commodius item existit ob variam formam, qua exhiberi potest, nempe in modum pulveris, tincturae, infusus, extracti, pilularum, et syrupi, atque electuarii, nisi quis velit ipsum paullatim dentibus conficere. Quare qui usum Rhabarbari intra arctissimos fines concludendum esse nuper iudicarunt, vel ob exiguam, aut nullam eius efficacitatem in quibusdam etiam morbis, quibus paullo ante dicebam opitulari (§. 1422.) temere

videntur in eius criminationem saepius adducere quod Artifici aequiori iure exprobrandum erat.

1426. Concedo profecto Rheum ob manifestam eius agendi rationem, quae vim stimuli ostendit, ac motus et caloris incrementum affert, quacumque inflammatione tentatis, ac praesertim iam detentis, aestuantibus, valida febre correptis, ex urinarum ardore aegre meientibus, atque haemorrhoidibus obnoxiis alienum plane esse, et nocuum. Sed concedere interea nequeo CULLENIO parum admodum in dysenteria convenire, quoniam in eo, quem posui, rerum statu, aut quando vomitu caetera Purgantia reiiciuntur remedia, aut prohibendum sit ne in diarrhaeam transeat, neve recidivum fiat malum, omnium consensione eximium auxilium perhibetur. Nequeo item eidem Auctori concedere Rhabarbari laudem in ictero falsis innixam esse principiis, aut nullam praesto esse observationem, quae eiusdem remedii utilitatem in albo Mulierum fluore confirmet; quoniam in primo morbi genere, si ab haerentibus spissis humoribus, obstructionibusque pendeat, utilissimum passim experior, in altero vero licet pertinacissimo, ac cum ardore atque erosione genitalium etiam coniuncto, post ROSENSTEINIUM, et WERLOFIUM optimum E x t r a c t u m R h a b a r b a r i pluries MURRAYUS expertus est. Potius CULLENIO verum tribuam quod de Rhabarbari inutilitate adversus diabetem asserit; quia in hoc morbo in

cassum se administrasse testatur, ac quae ex aliis adducuntur Medicinae Scriptoribus eius efficacitatem constituere non possunt, cum per se Rheum datum nunquam fuerit.

1427. Illa praeterea vitia, ob quae vel plurimum limitandum, vel plerumque excludendum usum Rharbarbari nonnulli tradunt, non eiusmodi sunt, ut demi facile nequeant. Nam si ab aegro, ut palato iniucundum, prorsus adversetur, vel assumptum fastidium et nauseam moveat, utrumque expeditissimum est praecavere pulverem eius involutum nebula, ut dicunt, exhibendo, vel in pilulas redactum propinando, aut huius loco Tincturam Rhabarbari aquosam, Animam Rhabarbari alias vocatam, si ducenda sit alvus ad unciam, sesquiunciam, vel ad alteram, stillatitia aromatica gratissima aqua dilutam praebendo. Ne enim pulvis idem (qua forma deiectionem melius quavis alia Rheum invitat), in pilulas offeratur prohibet, ob sui copiam quae in paucas pilulas redigi nequeat, ea quantitas remedii, quae ad alvum ducendam requiritur, ut CULLENIUS animadvertit. Nam cum satis ad hanc laxandam valeat in Adultis a granis viginti ad scriptulum, vel ad dimidiam drachmam remedium, dummodo probatissime notae sit, ut passim experior, plures quidem pilulae inde emergunt, sed non tam multae, ut aegre sumantur. Quae quidem rationes Rhei exhibendi adhuc commodiores existunt quando remedium partite exhibendum est, vel

alterandi caussa adhibitum satis est ad pauca grana in pulvere, atque ad duas, tresve drachmas in tinctura intra diem ipsum insumere.

1428. Nec desiderantur rationes, quibus Artifex queat aliis ex Rheo interdum futuris incommodis obviam ire. Enim vero ubi metus sit ne irritatione sua ob singularem sensilitatem molestum evadat stomacho eorum, quibus caeterum debilitate, mobilitate, aut dyspepsia laborantibus egregie profuturum esset, sicuti reapse mirifice prodest, vel ubi timor subest, ne postquam laxaverit ventrem, huius incommodam, atque alienam adstrictionem inferat; utrumque incommodum facile averti iamdiu ante CULLENIUM Medici tradiderant si dentibus conficiatur Rheum, ac sensim solutum cum saliva ad ventriculum paullatim deducatur. Quo quidem modo prohiberi saepe animadverto, ne Rheum in stomacho, atque intestinis cum sensu caloris eos leves dolores suscitet, quos secus plerumque movet. Quoniam tamen non desunt qui dentibus conficere Rhabarbarum nolint, atque occurrunt, qui magis resolventi, atque una minus adstringenti remedio, imo nullatenus calefaciente indigent; ita eorum rationibus apprime conducere solet Rheum ipsum cum Salibus mediis, quos iam exposui, apte coniunctum.

1429. Horum additamento, ac praesertim Cremoris Tartari, qui nunc maiori, nunc minori dosi admiscetur, prout purgandi, aut alterandi indicatio est, promptius, ac plenius

alvum sollicitat, nec eiusdem obstructionem post re relinquit, viscosa, ac tenacia melius resolvit, obstructiones certius reserat, sensum caloris molestum non movet, ac suam in renes actionem, per se non multam, maiorem, promptioremque efficit, ac bilis vitiis, ac morbis inde natis efficacius medetur. Quare evenit, ut apud nos hoc modo adhibitum Rhabarbarum efficacissimum saepe Medicis auxilium praebeat, quando natae sive ex laxitate totius corporis, debilitate lymphaticorum, ac viscerum obstructionibus hydropisis, sive erysipelatis ex gastrica, et biliosa maxime caussa crebro grassantis, sive morborum parem naturam, putridamve indolem habentium curationes moliuntur. Quod enim non nulli putant Rheum, quasi sceptici instar medicamenti ageret, ubi putredinem veremur non convenire; vanum est, atque experientiae contrarium. Nam praeter ea, quae ex PRINGLEO iam attuli, antisepticum in dysenteriae gastricae, putridaeque, epidemice etiam in Castris saevientis, saepius, tum novissime apparuit, ac toties revera existit, quoties ab inducto motus, et caloris incremento metuenda putredo non videatur.

1430. Quod si generatim indicetur quidem Rhabarbarum, sed eiusmodi quod solito minus roboret, atque adstringat, minusve alvum sollicitet; id commodissime consequitur Extractum Rhabarbari, cuius iam memini. non solum exhibendo, sed eiusdem Rhei infusum, qui utroque respectu pulveri,

et tincturae cedit, sive ut purgans a scriptulis duobus ad duas drachmas, sive ut alterans remedium a scriptulo uno ad dimidiam drachmam idonea aquae copia paratus administretur. Quod si conveniat eiusdem remedii ope vires magis incitare stimulo, ac validius confirmare stomachum, atque intestina, hic raro, alibi vero non infrequenter, Medici T i n c t u r a m R h e i s p i r i t u o s a m usurpant. Demum, ubi non ducenda alvus sit, at ea adstrictione cohibenda, sunt adhuc inter Medicos, qui R h a b a r b a r u m t o r r e f a c t u m magni faciunt cum noverint Rhabarbari pulverem tostione virtute purgandi privari, atque acrius, aptiusque ad adstringendum effici. Sed cum tunc nihil habeat, quo caeteris adstrictione donatis Vegetabilibus praestet, eo sane Medicina poterit sine ullo detrimento carere.

1431. Carere interim Medicamentariae officinae non debent, aliis prorsus reiectis nunc exoletis Rhei praeparationibus, ac speciatim T r o c h i s c i s, et T a b e l l i s, vulgatissimo S y r u p o C i c h o r e i c u m R h a b a r b a r o, qui ex radicibus Cichorei decoctis et Rheo ope sacchari simplici methodo confectus sit, atque ea diligentia paratus, ne calenti nimis syrupo Rheum ob volatilium partium, atque una purgantis virtutis facile dispendium adiiciatur. Hic namque Syrupus, qui hoc modo factus Syrupis eiusdem nominis Nicolay, Guglielmi, aliorumque inconcinnae prorsus compositionis longe prae-

stat ob saporem dulcem, non ingratum, atque ob mitem actionem, qua alvum ducit, resolvit, et discutit, Infantibus, ac Pueris omnium commodissimus est. Datus quippe a drachma usque ad duas, tresve recens natis, eos a meconio liberat, ac mala ab eo retento futura praecavet, quin opus sit quorundam more Diagrydium, Ialappam, aliaque saepius periculosa ei substituere; tum Pueris exhibitus a semuncia ad sesquiunciam alvum blande ducit, atque apte leves, aut recentes obstructiones resolvit; tum denique Adultis ad aliquot uncias propinatus eadem efficit, licet istis ob nimiam, quae requiritur, copiam raro simplex, sed cum alvum solventibus medicamentis coniunctus inserviat; quatenus hisce vel ad emendandum saporem nimis ingratum, vel ad vim acuendam, aut apte immutandam adiicitur.

1432. Ad valida Purgantia spectant quoque Folia, et Folliculi *Cassiae sennae*, cuius plantae ad Lomentaceas stirpes, non secus ac *Cassia fistula*, pertinentis duplex varietas occurrit; una foliis acutis, quae in Aegypto, atque Arabia crescens Alexandrina, aut Orientalis dicitur, altera foliis obtusis in Italia potissimum germinans quae ideo Italica nuncupatur. Illius folia frequenter, folliculi vero nunquam apud nos adhibentur, licet certum sit eosdem fructus, sive legumina compressa, oblonga, semina occludentia non modo mitius agere foliis, ac sine torminibus, verum etiam, ut inodora, ac nauseosa amaritie, qua

pollent folia, destituta istis praestare. Quare eosdem folliculos foliis praeferendos esse quando Senna indicatur, etiam si debiliora ad alvum ducendam videantur, Praestantissimus SCOPOLIUS monere solitus erat. Folia autem ovali-lanceolata, acuta, saepe pollicaria, costa pubescente venulosa, nervis alternis, viridia cum levissimae flavedinis indicio, odoris proprii, subaromatici atque ingrati, ac saporis amaricantis, et cum glutinis sensu nauseosi folliculis validius, etsi non prompte operentur, alvum cum levibus torminibus movent.

1433. Tum folliculi, cum folia, e quibus multum gummi, parum resinae, atque aliquid olei proprio nauseoso halitu donati, quod unguinoso-aethereum vocant, Chemici eduxerunt, vim purgantem potissimam agnoscere communiter dicuntur ab oleosa ista materie, quam scimus etiam in Senna italica praesto esse. Hinc non desunt qui mirari soleant hanc sive apud nos, sive in aliis Italiae Provinciis Orientali generatim non substitui. Nonnulli quidem metuunt, ne Italicae folia ob maiorem, quam praebent, resinae copiam maiora adhuc tormina suscitent, tum ex eo etiam credunt non adhibenda esse quia foliis Orientalis sennae minus valide agant. Verum hi neutiquam animadvertunt, aucta paullum dosi, aeque valide, ac Orientalis Senna soleat, ventrem solvere Italicam; tum levissima infusione foliorum praecaveri ne in infusum, cum gummi multum resinae transeat; ac proinde nesciunt reapse hoc modo adhibitam

sennam Italicam sine torminibus generatim alvum moliri.

1434. Nec tantum vitanda est ad nauseas praecavendas, intestinorumque dolores avertendos foliorum decoctio, sed etiam sedulo cavere oportet ne valida expressione infusus percoletur; ex qua rudiores ac resinosae partes, quibus tormina tribui solent, in traiectum liquorem descenderent: quod rectissime de infusu ex foliis *Coluteae arboreae* Sennae succedaneis in Germania iamdudum habitis cum COSTIO etiam MURRAYUS monuerat. Quare ii imitari non debent, qui Sennam, non fervida aqua leviter infusam, at in pulverem tritam suis aegris interdum offerunt, aut existimant ad omne ex ea incommodum impediendum satis esse stipites e foliis diligenter reiicere, aut remedium aliquod addere, quod nimis irritantes, ac nocuas eius qualitates emendet. Nam stipites saepe exhibitos tum una cum foliis, tum sine ipsis non magis, quam folia, tormina inferre, atque illorum infusum fere aeque et tuto, ac si ex foliis paratus fuisset, alvum movere BERGIUS satis demonstravit (*a*). Illa vero, quae nonnulli habent, folia nimirum *Scrophulariae aquaticae* nauseosum saporem Sennae adimere; Cinnamomum, semina Coriandri, Anisorum, aliaque similia addita impedire, ne eadem inflationes moveat, neve tormina suscitet; at-

(*a*) Mat. Med. n. 214.

que Acida vegetabilia admixta calefaciendi, atque irritandi potentiam infringere quin purgantem enervent: ea sane neque mihi, neque VITETO, neque aliis Materiae medicae Scriptoribus certis hactenus observationibus innixa videntur.

1435. Non interim diffitendum est validum revera, ac tutum alvum ducens medicamentum esse infusum Sennae ex drachma una ad duas, tresve partite haustum, quemadmodum plures Gentes usurpant, cum apud nos generatim a dimidia drachma ad unam, vel sesquialteram lente quidem, et tarde, ut senna solet, at copiosam nihilominus, ac pluries iteratam deiectionem afferat. Illud potius denegandum censeo, quod nimis fidenter a BERGIO, aliisque plurimis magni nominis Auctoribus traditur, eum infusum primarium fere laxans esse in morbis acutis, et chronicis (*a*). Quo minus siquidem ita sentiam faciunt sane tum actio Sennae admodum valida, irritatio, calor, sitis, ac caetera, quae eius actio movet, tum natura acutarum passionum, quae, ne de chronicis non paucis dicam, calefacientia, atque acria Cathartica omnino respuit. Quibus accedunt Clinicorum observata, quae exhibitam in febribus acutis, inflammatoriis, haemorrhagiis, atque in morbis pectoris nocuisse declarant febre, inflammatione, fluxu sanguinis, aut morbo generatim aucto.

(*a*) Op. cit. et n. c. p. 338.

1436. Concludo proinde in omnibus casibus, in quibus irritatio, mobilitas nervorum, inflationes ex aere intra primas vias rarescente, gracilis corporis habitus, exsquisita sanguinea temperies, metus inflammationis, atque alia huius generis praesto sunt, prudentis Medici esse a Senna abstinere. Quod pariter sentio de Electuario lenitivo Edimburgensium, seu pro ore, quod, etsi unum utpote minus compositum, atque a semuncia ad unam alvum certo ducens, retinendum sit, reliquis Electuariis alias usitatis plane reiectis, iisdem tamen vitiis, atque exceptionibus obnoxium est. Quare hisce omnibus spectatis mihi videntur recte agere eos Medicos, qui Sennae usum mecum limitant ad eos casus, qui stimulans validum requirunt, ut alvus moveatur, ac simul ob inductam intestinorum irritationem non illico cessantem ad eadem affluentiam avocant humorum, unde copiosior exinanitio contingat, atque eandem Sennam nunquam solam exhibent, sed aliis additam remediis. Istis enim non modo ad acuendam eorum actionem utiliter in morbis chronicis, qui stimulantia alvum Ducentia requirant, recte additur, sed ipsa etiam Senna iisdem plerumque indiget, quando non stimulare tantum expedit, dum alvus molitur, sed aliae quoque salutares mutationes praestandae simul videantur, quas natura sua, si stimulum demas, afferre non posset. Recte siquidem observat Cullenius nihil, quo ad caeteras in multis Purgantibus obvias facultates, Senna habet,

quo speciatim utilis, aut indicata videri possit; unde magis ipse admiretur tam multos adhuc occurrere, qui eam creberrime usurpent: quae sane neque odore grata est, neque gustu iucunda, neque stomacho satis apta, neque alvum, etiam ubi tormina non moveat, expedite subducit.

1437. Nunc ad Aloen transeundum est quae iam Celsi, Plinii, ac Dioscoridis aetate alvum ducentium numerum auxerat. Eius unica antiquitus species, et duplex Dioscoridis tempore, triplex demum ad medendum invaluit. Ex una omnes *Aloe perfoliata* oriri, quatenus ex eiusdem tribus varietatibus, nempe ex *americana* Aloe succotrina, e *vera* Hepatica, atque e *guineensi* Caballina proveniret, Linnei, aliorumque fuit sententia; cui hodie plerique non subscribunt. Nam horum quidam sive ex Aloe perfoliata, sive ex alia quavis specie, aut alterutrius varietate illa discrimina succorum pro vario eductionis, ac praeparationis modo repetenda esse arbitrantur, alii vero prout ex *elongata*, *spicata*, et *linguaeformi* (quae omnes Aloes species sunt) succum ex incisis foliis ubertim profluere observant; sic ex iisdem, eorumque varietatibus differentias deducunt, quas animadvertimus tum in singulis tribus succi speciebus in Officinis obviis, tum in qualibet fere specie pro diversis regionibus Indiae, Affricae, atque Americae, e quibus ad nos Aloe advehitur.

1438. Temerarium proinde videri posset aliquod tamquam certum in hac re constitue-

re, quemadmodum parum tutum esset praeparationis aptiorem, communioremque modum tradere, quae tam varia est, tamque parum generatim evicta, ut vel ipse MURRAYUS non potuerit omnium votis in hac re satisfacere (*a*) etiamsi insignem succi diversitatem praesto esse ex multiplici in succo praeparando varietate probe cognosceret. » Alia, inquit ille » Auctor, est natura Aloes sponte exsudan» tis; alia ex foliis dissectis et conquassa» tis erutae; alia si inspissationem praecedit » colatura; alia si haec negligitur; alia si suc» cus sole densatur; alia rursus, si id fit co» ctione, quae quo fortiori igne perficitur, tan» to facilius empyreuma contrahit, dispendium » odorarum partium patitur, et tanto profun» diori calore tingitur; alia, si sordes coctio» ne ascendentes auferuntur; alia si absque de» spumatione spissatur ».

1439. Donec igitur suppetant quae tuto sequamur, satis erit rimari ea, quae Aloen ipsam in Medicamentariis officinis in Succotrinam, Hepaticam, et Caballinam, tamquam species qualitatum, vinumque ratione distinctas, discriminant. Prima, quae nunc crebrius ex Iamaica, quam ex Succotra, aut Zoccotera adfertur, omnium purissima, ex flavo, rubro, ac purpureo colore fusca, splendens, tritura pulverem exhibens ex auro nitentem, odorem

(*a*) Op. cit. Vol. V. pag. 238. et seq.

parum gravem, et Myrrhae proximum spirans, friabilis cum levi aromatis sensu fere citra nauseam amarissima est, ac gummi copia, si Lewisio potius, quam Bergio credimus, aliosque sequimur, reliquis speciebus antecellit. Altera, seu Hepatica, quae ex India, atque Affrica advehitur, minus Succotrina nitet, minus adhuc pellucida est, unde iecinoris colorem quodammodo aemulatur, magis gravem, ac nauseabundum halitum emittit, ac parem haberet saporem, si minus nauseantem amaritiem in ore relinqueret. Tertia denique aperte nigricans, ponderosior, multis quisquiliis, sordibusque scatens, arida, ac cum amaritie plane nauseosa insigniter foetens ex Affrica plerumque proveniens apud nos Veterinariis, non Medicis inservit.

1440. Hisce notis allatae Aloes species non aegre possunt distingui, licet inter se omnes quo ad plurimas qualitates, proprietatesque conveniant. Huic enim concreto succo proprium semper ac commune est, ut Bergius (*a*) apposite animadvertit, in igne spumescere, accendi, et deflagrare, plurimum fumi emittere, in carbonem mutari, nec fundi; quinimo amaritiem habere cum quadam acrimonia, atque adstrictione coniunctam. In qualibet praeterea Aloes specie praesto sunt gummi, resina, terra, et volatiles, atque odorae partes varia proportione, quamvis saepe interdum inter

(*a*) Op. cit. n. 177.

Succotrinam, atque Hepaticam nullum discri-men notatu dignum occurrat. Quod sane respondet observationi CULLENII affirmantis utramque Aloen eosdem effectus ostendisse. A gummi denique quamque speciem vim purgantem accipere communiter traditur, excepto CULLENIO, qui nullum adhuc sat tutum experimentum nobis suppetere asserit, cui innixi possimus definire inter resinam, et gummi, quo ad virtutem, veram differentiam adesse. Qua quidem de re eum recte sensisse mihi videtur quoties animadverto illos, qui gummi vim omnem tribuunt, fidentius, quam tutius id affirmare. Et profecto resina, quae inodora, ac fere insipida est, ac plane iners ad alvum movendam iudicatur, eius deiectionem afferre certum est. Si autem gummi validius movet, eique adhuc odor, et sapor adhaerent, nonne quis posset inde coniicere quod gummi tribuitur, odoris, sapidisque partibus rectius dandum esse? Si caloris, irritationis, ac molestiarum, quas Aloes integra vis saepe movet, caussa omnis in resina statuitur, non ne ab ea tam valida cum illis tenuissimis particulis consociata posset praecipua quoque efficacitatis ratio manare? Vereor quidem, ne Materiae medicae Scriptores dum omne pretium resinae detrahunt, ac nihili faciunt tenuiores, ac fugaces Aloes partes, a veritate non parum deflectant.

1441. In quacumque tamen parte vis delitescat, ob quam Aloe speciatim alvum moveat, dum hanc sollicitat, singulari prope ra-

tione afficere partes omnes, quas proxime attingit, suamque vim in sanguinem receptum ad alias quoque corporis intimiores extendere Medici docent. Haec tamen in dubium a Cullenio revocata fuerunt, nec sine veri specie. Ex eo namque quod observet Aloen post decem, aut duodecim tantum horas alvum movere, eam liquidam nunquam efficere, una tantum vice eam ducere, haemorrhoides concitare, et vix, ac ne vix quidem, mentruum sanguinem ex utero pellere, concludit eius actionem nullam fere esse in tenuia intestina, ac pene omnem in crassa, ac speciatim in rectum insumi, huius vasis affectis irritationem ad ea, quae ad uterum feruntur, propagare, atque ab eius effectibus argui non posse sanguinem, intimioresque partes proxime afficere. Praesto sunt tamen, quae Cullenio opponi possunt, nimirum respexisse potius effectibus, quos Aloe movet minima copia data, quam iis, quos maiori, ac generatim opportuna, suscitat, qua sane liquidam, atque iteratam egestionem adducit; non eum animadvertisse, dum fatetur Aloen stomachi doloribus, aliisve incommodis amari, atque antispastici instar remedii efficaciter mederi, affici non posse, quin innexa tenuia intestina fere intacta relinquat, quae revera eius stimulum sentire motibus suis, levibusque doloribus saepe significant; nimium tribuisse actioni in rectum intestinum ad explicandum modum, quo in uteri vasa operatur, atque eiusmodi actionem sive proxime in vasa haemor-

rhoidalia, sive remote in ea, quae ad uterum deducuntur nimis raram existimasse, cum plerumque concitare haemorrhoides, ac menstruum fluxum ciere omnium Medicorum observatione evictum sit.

1442. Maiora autem quisque CULLENIO opponet qui deinde istis addat non raro Aloen avocare menstrua, ob defectum stimuli et motus potissimum retenta, etiam cum nullam molestiam haemorrhoidibus attulerit; calorem et motum ita saepius intendere sive ore sumatur, sive extrinsecus applicetur, ut etiam si LEVISII observationes, utpote CULLENIO contrariae, in sanguine eorum institutae, qui remedio utebantur, negligendae sint, denegari nequeat vasa sanguinea afficere; eiusdem in sanguinem ingressum, atque actionem evidentissime demonstrari phaenomenis, quae externus eius usus edit, quatenus ex tinctura Aloes ossibus carie tactis applicita, ut perhibet MONROUS, vel eius pilula fonticulo immissa (a) continuas, ac magnas alvi deiectiones intulit, ac tot commotiones suscitare solet, ut ab eo remedio ob antisepticam vim secus indicato Chirurgi sapientiores iamdiu abstineant.

1443. Ergo sive alvum ducendi fine, sive quovis alio usurpetur Aloe, iure existimabimus efficacitatis suae effectus ultra eos limiter protrahere, quos constituit CULLENIUS quando speciatim ad unam tantum deiectio-

(a) MURRAY App. Med. Vol. V. p. 251.

nem, neque eam liquidam procurandam accommodatum remedium iudicat. Si profecto ea dosi, eaque ratione adhibuisset; quae a Therapeutis constituitur purgationis caussa non diversam ab Antiquioribus, Recentioribusque Clinicis sententiam amplexus esset, qui communiter tradunt laxo corporis habitu praeditis, pituitosis, ob defectum bilis tarde concoquentibus, parum sensilibus, obstructis, ob languidum intestinorum motum contracta alvo laborantibus, ac male habentibus ob impeditum consuetum ex haemorrhoidibus fluxum, aut segnem ex deficiente stimulo, ac Chloroticis ob laxitatem, et cachexiam valde convenire. Alienam contra, et nocuam Aloen aperte pronunciant haemorrhagia obnoxiis, infirmo pulmone donatis, tabe, et phthisi detentis, atque iis omnibus, qui inflammatione, et nervis laborant, aut nimia pollent intestinorum irritabilitate, qui ex stimulantium, et calefacientium usu haemorrhoidibus facile tentantur, aut ob eorum actionem improvide admissam iam laborant, neque eiusmodi fluxu indigent, ac Foeminis, quae menstruum sanguinem apto tempore copiosum effundunt, aut uterum gerunt.

1444. Sequuntur porro Aloes naturam, et vires, plus minusve, prout eius maiorem, minoremve qnantitatem habent Praeparata, ac Composita illa quamplurima, quae ex eo calida aqua eloto fieri olim consueverant, quaeque nimis adhuc multa in Officinis prostant, aut in Pharmaceuticis codicibus ad medicos

usus indicantur. Quae quidem fere omnia utpote partim superflua, partim inconcinna, partim non tuta, non est cur expendantur. Sunt tamen non ubique in Insubria exoleta medicamenta Tinctura Aloes, Tinctura Aloes Aromatica, Elixiria Aloes, aperitiva; Pilulae Aleophanginae, de Ammoniaco cum Aloe, Angelicae, Aureae, sine quibus, Tartareae, Mastichinae, de Succino Cratonis, Cocchiae, Beccherianae, atque Àloeticae; Species Hierae picrae, Extractum Catholicum, atque Extractum panchymagogum Crollii. Sed istis nullo modo indigemus cum satis sint Extractum Aloes gummosum, atque Elixirium Proprietatis. Etenim illud leni stimulo, sine calore et sine torminibus, si rite confectum sit nec sapore nimis ingratum a viginti granis ad scriptulum, aut dimidiam drachmam alvum leniter, et commode deiicere solet; alterum vero sive cum Aloe Myrrham tantum, sive etiam Crocum recipiat, atque ex optimo vino, vel ex alcohole aqueo, vel potius ex acido vitriolico dulci confectum sit, a guttis quindecim ad viginti quatuor, et ultra etiam in idoneum liquorem inditum, aut per se sumptum ad confortandum stomachum saepe valet, imo ad eius spasticas constrictiones removendas a CULLENIO etiam probatur.

1443. Puram vero, atque in pulverem comminutam Aloen quod respicit sunt qui

credant ob ingratum saporem, ac resinam adhuc in ea praesertim delitescentem nunquam dandam esse, eiusque loco Extractum aquosum exhibendum; tum qui recte dari putant, quo ad formam, et dosim ad alvum ducendam opportunam, non conveniunt. Ego sic existimo eius integrae usum nimis quosdam reformidare, cum revera, ubi omnis vis eius requiritur, nulla sui parte privata Aloes expediat; saporem eius obvelari si cum nebula sumatur, aut grato simplicissimo syrupo in pilulas conformetur; non postponendam puram Aloen esse Extracto quando viginti circiter grana satis sunt ad liquidas, atque iteratas alvi deiectiones concitandas, quia secus ob maiorem dosim dolores ventris suscitat, et nimium commovet; vix unquam aliis remediis recte misceri, ac potius commodissime subigi mucilagine ex gumi arabico, commixtionis genere ad avertendas eius molestias, et vitia corrigenda aptissimo; ac demum nimium Aloes praescribere qui ad alvum ducendam ad duo scriptula, atque ad drachmam usque eam dari posse constituunt. Caeterum arbitror Aloen remedium esse, quod ad eius illustrationem, quo ad principia, vires, atque usus deberet nostrae aetatis Chemicos, et Clinicos allicere, ut innotesceret, num recte nunc se gerant Medicorum plerique, qui, ne Veterum more, aliorumque, qui paullo ante nos medendi praestantia floruerunt, Aloe abutantur, ab eius usu tam sedulo cavent, ut nunquam fere ad medendum traducant.

1446. At nimium fortaſſe de Aloe; quare dicam de ea Boleti ſpecie, quae Purgantibus, de quibus hactenus loqutus ſum, ex complurium ſententia olim accenſeri conſueverat, nempe de *Boleto laricis* ſeu Agarico albo. Hic fungus, qui Larici accreſcens, atque in variis Europae provinciis obvius ſtudio Ill. IACQUINII abſolutiſſime illuſtratus (*a*) in varia tubera diviſus in Medicamentariis officinis occurrit, levis, friabilis, mollis, albus inſtar nivis, inodorus, ex dulci amaricans, acris, nauſeoſus ſapore diu perſiſtente iamdiu, praeeunte GALENO, alvum ducens habitus eſt. Et re quidem vera cum copiam reſinae contineat Ialappae perſimilem in tinctura cum alcohole parata, atque in extracto aquoſo, quod tamen debilius eſt, vel in pulvere ab uno ſcriptulo ad drachmam, vel ſeſquialteram propinatus alvum movet. Eius interim uſus, quem valde probabant ex eo maxime Veteres, quod falſo crederent pituitam, ac bilem ſingulari virtute attrahere, atque expedite evacuare, hodie iure optimo eviluit poſtquam animadverſum eſt, colicos dolores inter agendum ſaepe movere, anxietatem praecordiorum inferre, teneſmum inducere, ac remedium demum eſſe quod additis Aromaticis non ſua exuit vitia, ac ſemper aegre, ac tarde alvum ducit. Hunc proinde Boletum neque attigiſſem quidem

(*a*) Miſcell. V. 1.

nisi opportunum iudicassem eius mentionem iniicere, ut spectata agendi ratione, atque eiusdem indole discerent Medicinae, ac Pharmaciae Artifices caussas, ob quas contendo eorum aliquos nec tuto, nec utiliter agere, quando hoc remedio, sive per se, sive cum aliis medicamentis consociato tentant viscerum obstructionibus, cachexiae, ac febribus intermittentibus mederi (quod crebro a Municipe olim meo, atque Amico dum viveret, factum saepe dolui), aut in Officinis adhuc servant ex eodem Boleto quaedam Praeparata, ac Composita. Sunt huius generis Trochisci de Agarico, Extractum Agarici, Extractum panchymagogum, Pilulae cum Agarico, Pilulae Cratonis, et Mastichinae. Enim vero si tam multis oneramur remediis, quae etsi non inefficacia, atque innoxia sint, supervacanea tamen ob commodum, quod efficaciora praestant, iure censentur, cur tandem ea non eiiciemus, quae, ut ambigua, et periculosa, ab Arte aliena monstrantur?

1447. Purgantibus remediis, quae hactenus exequutus sum, quidam nonnulla adiiciunt, veluti inter Valida, ac Validissima qualitatum ratione, aut actionis gradu consisterent, quae tamen ego utpote inusitata, ambigua, atque aliis Medicinae usibus magis propria censeo ad hoc Caput remediorum traducenda non esse. Si porro singulas res, quae ob variam agrorum conditionem, et speciatim ob stomachi, atque intestinorum, quo ad

modum insitarum virium saepe obvium discrimen, ad alvum movendam interdum valuerunt, aut possent interdum aegris accommodare, huc sane referendae fuissent pene omnes, quae Materiam medicam constituunt. Sic, ne vulgatissima exempla commemorem, medicinam olim feceram Mulieri mediae aetatis, quae subinde in secunda valetudine gravi alvi obstructione tentata, ex qua saepius male habebat, quia remedia ex quolibet Purgantium genere petita, et quoquo modo usurpata irrita cedebant, casu invenit in minima Extracti conii maculati quantitate sibi opportunissimum ad alvum movendam medicamentum. Tria enim eiusdem grana, ut saepius observavi, perpetuo satis erant ad promptam, et copiosam non sine levibus doloribus, ac repetitis egestionibus deiectionem afferendam.

1448. Quare cum non duxerim ob satis tutas rationes, quas alibi opportuniori loco proferam, dicens de Purgantibus lenientibus sequendum Cullenium, dum inter ea Saponis varias species, *Sulphur sublimatum* a dimidia ad unam drachmam ore sumptum, et Semina *Sinapis nigrae* adhuc integra enumerat, aut alios imitandos, qui Amara plura, ac Balsama inter Mediocria purgantia recensent; neque iis modo insistam, qui Lobeliam, Senekam, Guaiaci resinam, Terebinthinam, Ammoniacam, Galbanum, Sagapenum, atque alia huius generis hic solent expendere. Quare sermonem ad ea deducam, quae ad Vali-

dissima Purgantia solent revocari. Antecedant autem reliquis, quae ex *Convolvuli* genere promuntur, quoniam variae eiusdem Species nobis praebent admodum valida Alvum ducentia, licet non aeque singula usu, atque agendi ratione probari possint. Prae ceteris inclaruit *Convolvulus ialappa*, quatenus Officinis praebet radicem, Ialappam vocatam, quae etiam viribus simillima, et confusa cum altera ex *Mirabilis* genere sumpta, e Messicano regno, proximeque e Xalappa urbe allata ponderosa, cortice subnigro, et rugoso tecta, intus ex fusco cinerea, et circulis, ac maculis nigricantibus notata, modo in taleolas transversim secta, modo in orbiculos conformata est; quae odore vel caret, vel debilissimo pollet nauseoso, sibique proprio, saporemque ostendit acriculum, et fauces ipsas potissimum pungentem; quae dum in pulverem teritur volatilibus particulis sternutamenta movet; quaeque resinam ad quartam fere sui ponderis partem continet, ab eaque vim purgandi agnoscit: quoniam eadem spoliatam alvum non amplius ducere nonnulli observarunt.

1449. Hinc intelligitur cur Ialappae radix vel in pulvere, vel in tinctura alcohole facta, nunquam vero instar infusus, ut quidam solent, alvi ducendae caussa debeat praescribi, quando scilicet eius speciatim usus convenire videatur. Quod enim plerique affirmant efficax, et tutum, atque exiguo etiam quo venit pretio commodum hocce medicamentum chronicis quibusve morbis, om-

nique aetati, ac temperamento idoneum esse nimium est, ut a prudenti Medico queat admitti. Etsi enim concedam a paucis granis ad viginti, vel paullo ultra Ialappae radicem pulveris forma exhibitam vel per se, vel prius cum Saccharo tritam, vel Sale aliquo medio admixtam, vel cum Aromatibus lenioribus consociatam, itemque in tinctura spirituosa a granis sex ad scriptulum Adultis datam noxa plerumque carere, ac saepe sine torminibus, ac sine aliis levibus incommodis agere, quae secus maiori dosi sumpta moveret, eam tamen opinionem non possum tueri. Si enim ob eius indolem, atque agendi rationem cachecticis, chloroticis, asthmate humido laborantibus, hydropicis, pituitosis, et laxo habitu praeditis conducit, officit evidenter iis omnibus, quorum stomachus, atque intestina sine molestia, aut non levi damno remediorum vim perpeti nequeunt, in quibus stimulus inest, qui validus diu inhaeret.

1450. Indiscriminatim igitur radix Ialappae adhibenda nunquam erit, atque aequiori profecto iure cautius adhuc, et rarius eiusdem Resina, quae ut purior, nec aliis partibus involuta longe validior est, ac raro, nisi levi admodum dosi detur, atque apte aliorum additamento mitigata sine torminibus operatur. Quam ob rem ne accedant ventris dolores, neve nimia exinanitio contigat, aut inflamationis metus subsit, nunquam per se, utpote nimis tenax, ac diu interius haerens, at modo cum syrupo, aut ovi vitello,

aut mucilagine gummi arabici subacta, modo emulsionibus unita, modo aliis involuta, mixtaque remediis, atque a granis duobus ad sex, vel octo, non ultra Adultis recte exhibetur. Hinc mirari subest SPIELMANNUM statuisse Infantibus a primo ad octavum aetatis annum tot resinae grana dari posse, quot annos agunt, atque Adultis eam usque ad octodecim grana praescribi (*a*). Interea tamen utilissimum consilium idem Auctor attulit, quando Medicamentarios monuit ab ipsis educendam, ac parandam perpetuo esse Resinam Ialappae, quoniam ea, quae venalis a Mercatoribus circumfertur vel non satis a gummi perpurgata, vel resinis aliis admixta esse solet.

1451. Species reliquae *Convolvuli* Purgantia suppeditant rarioris usus, quamquam in eorum sive radicibus, sive herbis, sive succis virtus cathartica insit. Etenim *Convolvuli americani* seu Mechoacannae in Messico, atque in Brasilia crescentis radix, quae recens lactescit, atque albicat, in Officinis vero occurrit Mechoacannae nomine in taleolas secta, extus grysea, intus albicans, inodora, subdulcis, ac sensim levem acrimoniam nauseantem explicans, hodie ubique fere locorum exolevit. Ialappa quidem minus officit sumentis palato, longe minus valida est, minusve irritans, imo saepe nullo modo molesta ob

(*a*) Mat. Med. pag. 643.

minorem quam continet resinam, maiori dosi datur sat tuto, nempe a granis quatuor ad duodecim Pueris, ab dimidio scriptulo ad drachmam, vel sesquidrachmam Adultis forma pulveris, tum aqua infusa duarum, vel trium drachmarum pondere. Verum supervacanea habetur, praesertim quia tormina interdum suscitat, interdum nihil praestat, ac perpetuo nimis lente, et tarde alvum ducit.

1452. Similiter *Convolvuli turpethi* in Ceylano et Malabaria perennis radix, Turpethum vocata, in frustra digitalia lineam crassa, ex cinereo fusca, interius subalbida, iam divisa in Officinis prostans, inodora, ex dulci acricula, et leviter nauseosa, quae dosi Mechoacannae alias usurpari consueverat, ob easdem caussas nunquam, saltem apud nos, praescribitur. Nec herbae sive *Convolvuli soldanellae* seu Brassicae marinae, aut Soldanellae, sive *Convolvuli sepium* seu Convolvuli maioris albi pluris fiunt ad alvum ducendam. Namque herba prioris speciei adhuc recens, ob salsum, atque amarum saporem ingrata, nimia vi solvere ventrem, atque interaneis officere dicitur; altera vero, cuius succum inspissatum instar Scammonii ex MILLERO, atque HALLERO quidam tradunt, utrum efficacioribus, ac simul lenibus Catharticis adscribenda sit, ut nonnulli censent, an potius vehementioribus, ac saepe ambiguis, et periculosis, ut tradunt alii, certo hactenus non liquet.

1453. Itaque unum est Scammonium, quod insolens non est. Hoc nomine distin-

guitur *Convolvuli Scammoniae*, seu Scammonii, aut Scammoneae in Oriente, ac speciatim in Libano, et Syria crescentis, ibique perennis radix fusiformis, tres pollices crassa, partim lignosa, partim lactescens ab ipso iam HIPPOCRATE ad purgandum adhibita; sed proprie indicatur eius Succus, qui concretus in Officinis occurrit. Radix enim licet succo etiam privata alvum sine torminibus mediocriter moveat, inusitata nobis est. Qui autem Succus ex ea incisa aestate lacteus erumpens postea exsiccatur, atque in frusta levia, friabilia, fusca, nitida, odoris subfaetidi, ac nauseosi, et saporis fere insipidi, dein instar vitrioli acriculi, et subamari advehitur, magna ex parte resina constat. Hasce revera notas illud exhibet Scammonium, quod ex Aleppo praesertim adfertur, germanum idcirco, ac praestantius iudicatum, non Euphorbiae, aut aliarum Convolvuli specierum succis admixtum, non arenulis impurum, non amylo, aliisve rebus lucri caussa corruptum, ut passim evenit. Purum ubi sit a maioribus Clinicis, si paucos excipias, praestantissimum remedium alvum potenter ducens perhibetur, cum, BOERHAAVIO praesertim auctore, in chronicis morbis usurpatum iisdem queat interdum mederi, humoribus etiam efficaciter resolutis, quos ad alvum amandat, ac medicamentum sit, quod a tribus granis ad decem, aut duodecim saccharo tritum, sive per se, sive aliis additum copiosas deiectiones

provocet, ac nemini sapore queat ingratum esse.

1454. E Scammonio duo alia remedia parantur deiectionis incitandae caussa nempe Diagrydium, quod etiam nomine ipsum Scammonium Veterum quidam indicarunt, ac Pulvis Cornachinus. Reliqua enim ex eo composita remedia, ac speciatim Pulvis Scammonii compositus, Electuarium Scammonii, et Morsuli Scammonii nobis prorsus inusitata sunt. Diagrydium dicitur Scammonium quando cum succo Cydoniorum, aut decoctu Glycyrrhizae, vel Sulphure, vel Amygdalis dulcibus praeparatur, unde Diagrydium cydoniatum, glycyrrhizatum, sulphuratum, aut praeparatum emergat. Alias usitatissimum erat loco Scammonii, eiusque dosi, quia tutius credebatur; hodie vero ideo supervacaneum censetur, quia earum rerum additione vel nocuae, si quae sunt in Scammonio, qualitates non corriguntur, vel eius vires infirmantur.

1455. Pulvis vero Cornachini, sive Comitis Warwikii, sive de tribus, qui Scammonio, Antimonio diaphoretico, et Cremore tartari pari quantitate admixtis componitur, subgravi odore, et sapore primum acidulo, dein acri, et leviter nauseoso praeditus nunc etiam crebro adhibetur ad alvum ducendam, atque ad alia simul commoda assequenda ob vim singularem resolvendi, ac febres, quae intermittunt, submovendi, quam

nonnulli ei tribuunt. Verum, si mittas pulverem Cornachinum puro Scammonio debilius agere, atque aqua solutum, aut syrupo idoneo unitum a granis decem ad unum, alterumve scriptulum, alvum deiicere, nullas proprias, evidentesque facultates in morbis ostendere videtur. In febribus quidem intermittentibus sive aliquot horis ante invasionem, sive inter unam, atque alteram accessionem cum exhibitus fuisset, nec febrim retardare, nec eam imminuere, nec tollere unquam observavi, nisi iis in casibus, in quibus ob gastricam complicationem, aut caussam satis erat ad febrim sistendam alvi deiectiones et plures, et copiosas concitare.

1456. Haec potiora sunt Purgantia validissima, quibus hodie Medici utuntur, etsi interdum possint mutata paullum administrationis methodo horum loco inservire quaedam eorum, quae inter Emetica proposita sunt, tum horum additamento queant etiam quae Mediocria, aut valida sunt Cathartica ad eum efficacitatis gradum evehi, quo Validiora pollent. Potiora autem Purgantia, dixi, quibus maxime utuntur Recentiores, quoniam suppetunt alia, quae etsi perraro adhibeantur, ac forte hoc uno fine vel supervacanea sint, vel nimis ancipitis usus, tamen interdum adhibentur, ob alias coniunctas vires, quas utiliter exerere iudicantur. Est huius generis succus ille, quem in India *Cambogia gutta* tum sponte, cum inciso cortice trunci, et ramorum praebet. Hic con-

cretus ad nos mittitur, compactusque in frusta modo magna, modo parva, nitida, admodum levia, solida, fragilia, ex rubro flavescentia, inodorus, subacris et fauces exsiccans, gummi resinosam indolem habens, partim Alcohole, partim, et quidem copiosius, Aqua solubilis, nec recte proinde Gummi gutta in Officinis medicamentariis vocatus.

1457. Olim dosi granorum duorum ad decem, vel paullo supra crebri usus erat Gummigutta in hydrope speciatim, quo in morbo ad curationem vulgo credebatur satis esse Catharticis hydragogis alvum vehementer moliri. Sed cum ipsa id efficeret ventriculi, intestinorumque contractionibus, colicisque doloribus, siti, vomitu, aut crebro, atque anxio ad vomendum conatu, tenesmo, interdum etiam inflammatione, aliisve malis, neque alcalicis, neque acidis, ut putarunt alii, remediis certo sive avertendis, sive removendis, eam Medicorum plerique deserendam esse iudicarunt. Sunt tamen qui nimiae dosi tanta incommoda, et damna referentes iterum crediderint adhibendam, in gravioribus saltem casibus, maxime in ascitidis curatione, quae validiora Purgantia interdum requirat. Tradunt etiam mucilagineis, atque oleosis admixtam, vel iisdem post eam assumptam ingestis, sine ulla fere molestia alvum ducere. Ad duo, vel tria sane grana tritam saccharo, vel aliis admixtam rebus tuto dari, ac generatim sufficere ad iteratas egestiones movendas saepe observavi, tum ad vermes necandos,

dos, eiiciendosque saepe consulto praescribi deinceps significabo. Nunc satis erit ostendisse Gummi guttam ad ea remedia Cathartica pertinere, quae perraro, quam minima dosi, atque a prudentissimo tantum Clinico danda sunt.

1458. Huic quodammodo accedit *Rhamnus catharticus* seu Spina cervina quatenus succus ex eius baccis, sive fructibus inodoris, acribus, et glutinosis expressus saccharo edulcoratus, aut melle a drachma ad unciam, vel rectius Syrupus confectus, qui Syrupus de Rhamno cathartico, seu de Spina cervina vocatur, a semuncia ad sesquialteram propinatus magnam fluidorum copiam ex alvo eliminat, egestionemque dolore, ardore, ac tenesmo excitatis molitur. Quidam proinde eum reieciendum esse ab omni usu existimant, dum alii non concedunt animadvertentes neque tanta caute, quo ad dosim, datum concitare, neque revera, si concitasset, eo tam saepe Sydenhamium, aliosque magnos Clinicos usos fuisse. Ipse quidem saepe adhibitum Syrupum a Cl. Medicis vidi, ac revera observavi nec illa mala perpetuo inferre, nec nimis vehementer alvum solvere, ac nimium egestiones protrahere, quoties ipsi Sydenhamium sequuti in hydropisi ab excretis retentis ob laxitatem, et defectum stimuli orta praescripserant, ac lacte solutum, et partite aegris obtulerant.

1459. Post haec operae pretium erit eorum quoque Purgantium meminisse, quae alias

laudatissima erunt, ut caussae etiam innotescant, ob quas ita eviluerunt, ut vix aliquando apud nos Medicis usibus inserviant. Ad ista pertinent duo inprimis e Cucurbitaceis stirpibus desumpta remedia, quorum unum *Cucumis colocynthis*, alterum *Momordica elaterium* praebet. Illius fructus pomum referentis fungosam partem exsiccatam seu pulpam, Colocynthidem vocatam, ex Arabia, Syria, ac speciatim ex Aleppo, et Cypro insula ad nos deportatur. Quae copiosa mucilagine praedita est, candida, sicca, levis, inodora cum acrimonia nauseosa amarissima sentitur, Pulpa probatur. Quamquam autem alvum moveret potenter, ac plerumque cum validissimis torminibus, atque interdum non sine cruento fluxu, post Graecos tamen, atque Arabes non defuere qui frequenter ab aliquot granis ad duo usque scriptula praescriberent. Dabant scilicet Colocynthidem, ut deiectiones concitarent, ac simul valide resolverent, et pellerent in hydrope, ictero, uteri purgamentis morantibus, in vermibus intestinorum, in gonorrhoea suppressa, in epilepsia, melancholia, mania, aliisve chronicis inveteratis praesertim affectibus, imo iniectionibus pro utero, atque unguentis, et malagmatibus adiiciebant.

1460. Hinc ex complurium Medicorum sententia ad varia Composita medicamenta Colocynthis recepta est, et nunc quoque, ubi ea usitata sunt, recipitur, dum interea omnes pene Clinici nostra aetate censuissent, eam sive puram, sive cum aliis consociatam reme-

diis, utpote discriminis plenam, intus nunquam esse propinandam, imo quam raro, et cautissime clysteriis adiiciendam, si quando vehementem eius stimulum soporosi affectus ex viscida serosave colluvie, vel asphyxiae a mephitibus illatae, ut praestitit nuper PORTALIUS, postulare videantur. Animadversum quippe est Colocynthidem nec parce, nec raro in alvum infusam rectum intestinum inflammare. Sed novissime tamen non defuerunt qui cum innoxium reddere Colocynthidis usum studuissent, quibusdam quoque morbis curandis aptissimam se effecisse putarent. Inter eos eminet Ill. DALBERGIUS, qui Tinctura Colocynthidis, quam exhibet Medicamentarius Sveciae codex (*a*) a guttis duodenis ad viginti circiter bis, terve, aut pluries die usus, quae dosis alvum sine torminibus, aliisve molestiis generatim movebat, mirifice subvenit rheumaticis, paralyticis, cephalalgia, aliisve doloribus ex digestionis vitio, detentis, interdum etiam febre peryodica occupatis, quin gravidis ipsis Mulieribus officeret (*b*). Quae quidem observationes non possunt ad eam iterum Colocynthidem, sive in istis, sive in aliis morbis, periclitandam Medicos non allicere, cum praesertim sentiam non deesse, qui variis Europae locis

(*a*) Pharmacop. Svec. tert. edit. (*b*) VETENSK Acad. Handl. 1785.

iam experti eiusdem remedii commodum, Ill. Dalbergio plane subscribant.

1461. Interea non erit alienum indicare quanti facienda sint praecipua Officinarum composita, quae Colocynthidem habent, quia ea non omnia usu plane carent. Dicam igitur Trochiscos Alhandal, qui raro per se, crebro vero Purgantibus olim adiiciebantur ad horum vim augendam, superfluos mihi videri, cum expeditissimum sit tutioribus stimulum, ubi opus sit, cathartico medicamento praestare; Extractum catholicum, quod lotionibus stimulandi caussa in alvum infundendis admiscetur, supervacaneum esse, cum Electuarium lenitivum sufficiat; tum Extractum panchymagogum Crolii, utpote nimis compositum, ac non huius sane aetatis, inconcinnum medicamentum, alias pilularum forma a paucis granis ad dimidium scriptulum usitatum, proscribendum esse; ac demum Unguentum Arthanitae, dummodo e tot drasticis rebus confectum non sit, ut praestare suos possit effectus, quin cutim inflammet diu adhaerens, retinendum esse; quia Infantium, ac Puerorum praesertim ventri illinitum faeces ex intestinis saepe exturbat utiliter, quando alia ratione nequeunt opportunius remedia alvum ducentia, stimulantia, atque ad discutiendum idonea administrari.

1462. Quod vero respicit vehementis remedii genus, quod afferebat olim Medicinae *Momordica elaterium*, seu Cucumis asininus, cuius

iam memini dicens de Emeticis, eius fructum, ac succum alvum tam vehementer movere, nec sine gravi discrimine, cum iamdiu novissent Medici sibi temperandum esse ab utriusque usu duxerunt, quamquam post Veteres a SYDENHAMIO, LISTERO, et SCULTZIO, aliisque experientissimis Clinicis magni factum noscerent in hydropisis curatione. Recte quidem, si tamen mihi concedant eius Extractum initio a dimidio grano, deinde aucta pedetentim dosi, sic ut assuetis intra diem partite ad tria, aut quatuor propinetur, dari quandoque non minus innoxie, quam utilissime, quoties in ascite, atque anasarcha valide resolvens, atque una ex alvo educens auxilium conveniat. Eodem quippe ter superioribus annis utilissime usus sum in hydropicorum curationibus, quae reliquis omnibus usitatioribus Artis praesidiis restiterant. Caeterum fateor cautissime Extractum ipsum tentandum esse, ne Artifex cui auxilio esse cogitat, noxam aliquam inferat.

1463. Non video interea caussam, ob quam ad alvum ducendam in Officinis adhuc obvia sit *Bryoniae albae* seu Bryoniae radix, quae recens subfoetida, nauseosa, amara, acris, ac cutim, ubi adhaeserit, inflammans, nec satis exsiccatione mitescens, veluti resolvens, atque alvum vehementer ducens alias in usum crebro veniebat. Etsi enim utrumque efficere queat, atque interdum hoc modo potuerit pituitosis, ex humido asthmate aegre spirantibus, atque hydropicis opem ferre, nimis

irritans, acris, et facile vomitoria est, nec virus suspicione adeo caret, ut intrinsecus dari nunc debeat. Eius autem faeculam, quam adhuc nonnulli tutissimam, ac radici viribus supparem volunt, cum BOERHAAVIO credam lubenter omni virtute destitui. Bryoniae itaque radix in taleolas secta, ac contusa oedematosis tumoribus poterit imponi, aut in modum pulveris, vel cataplasmatis scrophulis, ulceribus, et contusis, aut pertinaci dolore vexatis partibus admoveri quando erit evictum hac ratione usurpatam hydropicorum aquas educere, aut discutere, ulcera mundare, atque implere, ac satis humorum congestiones resolvere.

1464. Nec Medici sapientiores minori consensu putant e Purgantibus etiam validioribus expungendum esse *Veratrum album* seu Helleborum album, cuius radice Antiquiores passsim utebantur in maximis, ac fere conclamatis morbis, qui insignem in solidis, fluidisque partibus mutationem exposcerent, nec infrequenter superioris aetatis Medici usi sunt. Hi siquidem variis modis praeparatum Helleborum contra epilepsiam, maniam, hydrophobiam, hydropem, febrim quartanam, ac chronicas plures inveteratas, gravioresque aegritudines fidenter adhibuerunt. At quis pharmaco favebit, quod gustu plane iniucundum, nauseosum, halitu grave, acerrimum, fervidissimumque vomitum, alvum, ac sternutamenta movet, estque plenum gravissimi discriminis? Profecto cum virus huius radicis

nullo modo ita cicurari queat, ut haec plane innoxia evadat, atque exigua etiam dosi, praeter vehementem exinanitionem, interdum cruentam, diras convulsiones inferat, interanea inflammatione corripiat, ac plerumque Bruta animalia conficiat, nec Hominum vitae parcat, nunquam tentari, vel cautissime debet. Non desunt siquidem plura, quae Hellebori commoda afferunt, atque eius vitiis, omnique discrimine carent. Recte igitur se gerunt, qui neque alterandi fine cum lacte a grano uno ad tria, aut quinque in pulvere, aut a granis quatuor ad medium scriptulum in infusu eam unquam adhibent; vixque in surditate, scabie, tinea, et phtyriasi sinunt eam exterius experiri.

1465. Exulent vero e Medicamentariis officinis non solum petita olim summa temeritate ex Fossilibus, ac speciatim ex Stybio, atque Hydrargyro acriora ope acidorum reddita Praeparata, tamquam Cathartica in graviori casu non aliena; verum etiam e Vegetabilibus exulent cum Seminibus *Ignatiae amarae* seu Fabae Ignatii, de qua satis alibi dixi (§. 805.) temere ad alvum ducendam alias usurpatis, Species omnes *Euphorbiae*, quarum variis locis memini. Quamquam enim quaedam ex istis remediorum generibus alias vel desumi, vel proponi ad alvi plenam exinanitionem provocandam consueverint, fugienda sunt, cum acerrimis, ac causticis fere stimulis praedita non medicamento, at veneno plerumque sint. Neque existimo, quoniam de

Euphorbiae speciebus dico, retinendum adhuc esse, tamquam non alienum quandoque remedium, succum, quem *Euphorbiae officinalis* in Aethiopia, aliisque Africae provinciis vel sponte, vel Corticis incisione emittit. Hunc enim succum, qui Euphorbii nomine apud Medicamentarios adhuc occurrit, in grana concretum, subflavum, frabile, inodorum, acerrimum, ac gummi resinosum nunquam dandum esse, quaecumque sit copia, vel forma, quis non affirmaverit animadvertens vel parcissime adhibitum sitim inexplebilem, colicos dirissimos dolores, nervorum distentiones cum mortis periculo quandoque intulisse ore sumptum, tum clysteriis additum viru suo, quod certo nequit sine virtutis detrimento obtundi, intestina inflammare?

1466. Satis itaque Medicis sint illa, quae ut tuta, efficacia, et nunquam periculosa Purgantia in medium prolata sunt, quae quidem ita erunt perpetuo adhibenda, ut non videamur ignorare, haec Artis instrumenta eiusmodi esse, quae agendi ratione, et natura licet lenia, intempestive tamen, nimis saepe, ineptèque tentata aegritudines, quas secus mirifice levant, plurimum exasperent, atque infirmos graviter laedant. Ex effectibus namque, quos iam attigi (§. 1373) eorum actionem sequi, atque ex constanti Clinicorum experientia dum monemur in plerisque morbis, ac speciatim in capitis, atque abdominis affectibus, in febribus fere omnibus, atque in morbis ab humorum copia, impetu ad ali-

quam partem, ac prohibita excretione ortis, atque in nimia ad vias oris, cutis, atque urinae affluentia; docemur quoque alias stimulo suo, aliisve modis nocere; inopportune excitam, vel nimis frequentem alvi deiectionem corpus universum, ac praesertim stomachum, infirmare, atque alimentum subtrahere, nutrionemque impedire, et maciem adducere; nervis officere, irritabilitatemque laedere; humorum constitutionem, integritatem, motum, directionem, et secretiones invertere; atque alia mala procreare, quae sanis etiam purgationes non necessarias, ac frequentes inferre alibi monui (§. 493.) praesertim tentatas medicamentis, quae stomachum fere laedunt.

1467. Quam ob rem quando alvus molienda est studiosius debent illa omnia servari, quae negligenda nunquam esse Therapeutae praecipiunt, ut eadem tutius, citius, atque utilius ducatur. Oportet igitur illud inprimis remedium deligere, quod morbi naturae sua indole adversetur, atque aegri temperamento, palato, stomacho, consuetudini, viribusque conveniat; praesente declinatione, et remissione, aut, si quae occurrit, integritate propinare, ne secus exacerbationis, aut invasionis tempore instante, vel saeviente ore vix assumptum reiiciatur, aut aegre retentum stomachum, atque intestina laedat, imo ad sanguinem interdum, atque ad universum deinde corpus, saltem partim, per vasa deductum novos stimulos accedat. Expedit item ad faciliorem alvi deiectionem invitan-

dam quidquid viscosi, tenacis, aut acris in ventriculo, atque intestinis adesse cognoscitur, si tempus patitur, incidere, dimovere, aut obtundere antequam purgans medicamentum sumatur, iis maxime remediis, quae alibi dixi Emeticis commode praemitti (§. 1338.).

1468. Iuvat praeterea ieiuno stomacho, ac proinde matutinis horis, purgationem instituere, aut si vespertinis suscipiendam esse necessitas iubeat, quo tardius ab assumpto cibo fieri potest, eam moliri. Cibus quippe expeditae, ac plenae exinanitioni opponitur nisi etiam dempto purgatibus particulis stimulo omnem effectum inhibeat. Plurimum etiam confert uno haustu medicamentum propinare, quoties alias ipsum aeger assumpserit, ac mite admodum sit; secus partitis haustibus ac subinde, pauca semper copia, offerre, ne interaneis noxa accedat, neve plus iusto alvus solvatur: quod maxime praestare utile erit quando cautissime dandum sit, ut in quibusdam accidit morbis intestinorum. Qui proinde generatim cum leniora etiam Purgantia exhibent ea partite praebent imitandi non erunt, quia ut saepe observavi, hoc medendi genus, ubi necessarium non est, multis exceptionibus, atque incommodis obnoxium existit. Hoc modo maius cum debeat praescribi remedii pondus, inutile eius fit dispendium; ea quantitas, quae secus uno haustu sumpta satis fuisset ad evacuationem copiosam excitandam, interdum ad levem etiam

movendam inepta est; nausea, quam non gratum remedium incitat, tam saepe renovata vel affert inopportune vomitum, vel aegro nimiam molestiam parit; actio remedii in ea tempora exacerbationis, atque incrementi ipsius febris, quae vitanda sunt, protrahitur; emolumentum amittitur subitae illius irritationis, atque expeditae exinanitionis, quae utilitate saepe non vacat; denique commotiones, quas aeger patitur, toties renovatae, quae ad eum perturbandum sufficiunt, ad sat manifestam mutationem in salutem afferendam non valent, turbas inutiles suscitant, et vires perperam ita convellunt, ut postea maiorem infirmitatem contrahant, ac naturae motus nequeant adiuvare.

1469. Dixi porro medicamentum hauriendum esse, quoniam docent Therapeutae quoties fieri possit, toties liquida forma melius convenire, ac quidem apte dilutum. Hac enim ratione citius, certiusque operatur, nisi curandum sit, ut eius vis paullatim se explicet, aut nocte ingruente sumptum antelucanis tantum horis agat remedium, vel sapore nauseoso, aut halitu gravi praeditum aegre sumatur, atque etiam ingestum fastidium moveat. Hisce quippe in casibus forma pilularum deligenda est. Caeterum oportet assumpti Purgantis actionem adiuvare hausto post certum temporis spatium potu copioso ex Aqua, Sero lactis, decoctis ex Hordeo, Avena, aut Gramine, ex iusculis tenuibus, aut ex aliis diluentibus, demulcen-

tibusque; paullatim eoque copiosius epotis quo magis acre, vel aegre solvendum catharticum fuit exhibitum, aut alvi fluxus uberior, promptior, ac fluidior procurandus sit.

1468. Caeterum minime diluendum est, » inquit rectissime Ill. GREGORYUS (*a*) cum » aliquid beneficii a stimulo, et irritatione » medicamenti expectamus veluti in hydrope, » in quo non tantum ad purgandam alvum, » quam ad excitandum corpus, et augendam „ actionem vasorum resorbentium Cathartica » dari solent. Expedit etiam, tum huius Auctoris, tum omnium Practicorum consilio, purgationis tempore frigus diligenter vitare, quin nimium interim calori universum corpus pateat. Nam ille ventris dolores facile movet, atque exspirationem cutis tum nimis imminuendo quo intervallo alvus a medicamento resolvitur, tum impediendo ne cito redeat ad pristinum ordinem, vel purgationem uberiorem, diuturnioremque efficit, quam decebat, nisi eam in diarrheae speciem etiam convertat, vel maiorem corporis lassitudinem, aliasve molestias infert. Calor vero nimius dum ad cutim nimis humores invitat, eorum quoque affluentiam avertit, aut retardat, quos artis erat ad intestina ubertim, atque expedite deducere, seu ex alvo potius, quam ex cute expellere. Nec alienum est copiam re-

(*a*) Op. cit. n. 1429.

medii, atque indolem ex anni tempestate, ac regionis natura aliquomodo metiri, cum Medici tradant calida existente lenius, et quod partes non firmas minus relaxet, aestumque contemperet, convenire, ac contra validius, et rigiditati saepe oppositum hyemem, et frigidum coelum requirere. Necessarium autem est nimis interdum fluentem ex dato Cathartico alvum modo oleosis, modo acidis, modo anodynis, atque opiatis compescere; tum aptis auxiliis, vomitoriis, diaphoreticis, aliisve humorum affluentia aliorsum avocata eam cohibere. Demum quoties ventriculi, intestinorumque robur nimia purgatione fractum videatur, aut nimia irritatione laesum, toties oportet Analepticis, Roborantibus, vel Antispasticis uti remediis; quae quidem pro re nata vel ore debent propinari, vel ope clysteris cum apta lotione in alvum infundi.

1471. Quemadmodum vero Medicina non solum ad complura commoda assequenda varia medicamenta liquida, aut vesica, aut aptiori instrumento, quod clyster, vel clysterium vocatur, in alvum recte infundi iam reperit, verum etiam antiquitus invenerat utilissimum esse, atque interdum necessarium intestino ea iniicere, quibus eadem alvus ablui, ac duci posset, sic novam, ac plerumque commodissimam tentare viam Medicos docuit, qua deiectionem molirentur lotione, aut clystere. Clystere, inquam, quoniam ita vocatur non tam instrumentum, quo medi.

camentum iniicitur, quam hoc ipsum, quo alvus abluitur, ac ducitur, quod ab aliis Clysterium, aut Enema, a quibusdam Purgationem, atque a SCRIBONIO LARGO Clysmum etiam dictum, Lotionem CELSUS appellavit. Quoniam vero Clinici statuunt saepe lotione alvum ducendam esse, sermo quidem de Purgantibus medicamentis absolvi non potest, nisi ea quoque tradantur, quae rectum Lotionum usum, ac materiem respiciunt, praesertim cum illi unanimi consensione doceant, hanc medendi rationem, aut purgationis genus remedii alvum molientis ore sumpti vices quodammodo gerere. Quamquam enim lotionis actio in crassis intestinis, ac potissimum in recto proxime se exerat, attamen peristaltico motu, ob eductas faeces, ac propagatam irritationem, incitato ad tenuia quoque intestina, atque ad innexas, et vicinas partes se extendit.

1472. Lotiones igitur modo exinanitione rerum intestina occupantium, ubi inprimis Purgantia prohibentur, vel ore nequeunt assumi, vel mediocriter alvus ducenda est, modo revulsione a remotis partibus, modo stimulo, quo languentem fibrarum vires incitant, ac motus augent, ut in paralysi, ac soporosis affectibus, speciatim prosunt, ne dicam reliquos usus, quibus ex alio, atque alio remediorum genere paratae inserviunt. Notissimum quippe est praeter Purgantia medicamenta, lenia, valida, ac validissima, quae ad ducendam alvum iniiciuntur, ac praeter illa

elysteribus infusa, quibus intestinorum vitiis medemur, alia plura vario fine, nimirum emolliendi, abluendi, demulcendi, resolvendi, discutiendi, sedandi, refrigerandi, abstergendi, nutriendi, ac roborandi in rectum intestinum utilissime immitti. Hoc quippe vivido sensilitatis, atque irritabilitatis sensu donatum cum proximis etiam tenuibus non caret lymphaticis, seu lacteis vasculis, quae liquidum, et suctui idoneum medicamentum expedite, ac copiose hauriant, susceptumque ad sanguinis communem fontem, aliaque loca maximo commodo traducant.

1473. Cautiones tamen aliquas, animadversionesque Lotionum usus exigit. Inprimis curandum est, ut quae lotio iniicitur non iusto copiosior, aut parcior, non item aequo calidior, aut frigidior, aut crebrior nimis usurpetur. Nam, nisi diu remedia retinenda sint, atque in integrum fere exsugenda, sicuti expedire monui, quando cortex Peruvianus speciatim intromittitur, ubi alvus ducenda sit, pauciores effectu carent, aut faeces non satis expellunt; copiosiores nimis cito demittuntur, ac priusquam recrementorum resolutionem, aliosve effectus attulerint; calidiores, frigidioresque intestina fere laedunt; ac demum crebrius admissae alienum, et nocuum profluvium, nimiam irritationem, haemorrhoides, tenesmum, debilitatem, aliasve noxas inferunt. Recte igitur Lotio librae pondere, vix ultra, tepida iniicitur, nisi parcior, aut etiam frigida ob morbi discrimen expedire videatur.

Nec inutile saepe est post inditam lotionem, ut tormina vel praecaveantur, vel cessent, atque alvus facilius, ac plenius ducatur, abdomen, atque imum maxime ventrem fovere calidis, plerumque siccis pannis, aut fotibus impositis, quae interdum auxilia post ipsa Purgantia ore sumpta eodem consilio recte admoventur.

1474. Prout vero ex vario remediorum genere Lotiones, seu Clysteres parantur varia nomina sortiuntur, nec improprie, quoniam alia bona afferunt dum alvum abluunt, ac ducunt. Itaque Emollientes clysteres audiunt qui ex decoctis herbarum, et seminum Stirpium Emollientium, ex iure pingui, aut lacte, similibusque fiunt, quibus mucilagines, butyrum, aut olea expressa admiscentur. Stimulantes sunt qui ex urina, aqua salsa, Saccharo, ac praesersim rubro, Melle, atque ex Salibus, et Purgantibus medicamentis etiam validis apte solutis componuntur, vel ex simplici decoctu, cui Tartarus emeticus, aut quod vis non dissimile remedium adiectum sit.[a] Acriores vero isti speciatim vocantur ubi Colocynthidem, folia Tabaci, atque alia parem acritatem habentia recipiant. Discutientes, quos Infusa florum Chamomillae, Matricariae, et Sambuci cum seminibus Anisi, Phaeniculi, aut Coriandri, vel ex baccis Lauri, aut Iuniperi praestant. Resolventes ex infusis Verticillatarum stirpium pene omnium, aut decoctis Furfurum, aut Siliginum exurgunt additis Melle, Sapone, ac Salibus. Sedantes

aut

aut Anodyni dicuntur Emollientes ipsi si aliquid Opii secum receperint, vel ex Capitibus Papaveris, aliisve sopientibus medicamentis praeparati, Antiphlogistici, aut Refrigerantes constant ex Sero lactis, decoctis Hordei, Avenae, et similibus, quibus Nitrum, Acetum, Oxymel admiscentur. Abstergentes demum si ulcus intestini adsit ex Melle, Saccharo, aut Salibus cum decoctu idoneo fiunt, si autem irritatio, et tenesmus, aut acre quodlibet id requirat quod obtundat, atque involvat, ex mucilagineo decoctu cum Amylo, aut ovi vitello, ac uncia una, vel altera Terebinthinae componuntur.

1475. Atque hi sunt Clysteres, qui ad hoc remediorum Caput possunt pertinere; reliqui non item. Non quidem Antispastici in affectionibus nervorum, ac passione hysterica, aut hypochondriaca valde proficui, quos infusa e Valerianae sylvestris radice, vel ex foliis Aurantiorum, vel floribus Chamaemeli largiuntur si praesertim Assam faetidam, Oleum animale Dippelii, aut Caieputi, aliaque inter Antispasmodica singillatim proposita contineant. Non Adstringentes qui utiles aegris intestinum nimis laxum, atque e sua sede facile excidens habentibus, componi solent ex Aqua Calcis, atque ex iis generatim remediis, quae dixi alio loco valide quidem, at innoxie adstringere. Non Febrifugi, qui, ut iam monui, fiunt ex decoctu Corticis peruviani, vel ex quovis alio amaro infusu, cui tandem Corticis ipsius Pulvis, aut Extractum additur. Non An-

thelmintici, qui ex lacte potissimum cum saccharo parantur, quando avocandi inferius sint vermes, ex aliis vero ad vermes enecandos usitatis remediis, quando in recto intestino haerentes Ascarides interimi debeant. Non denique Nutrientes, qui ex iure meraciori, gelatina, cremore hordei, vel panis, lacte, aliisque consurgunt, quibus eos reficimus, qui nequeunt potum et cibum ob vitium faucium sumere, vel sumptum ob stomachum continuo vomentem confestim reiiciunt. Qui quidem omnes clysteres a prioribus, quibus abluitur, duciturque alvus non solum effectu, viribusque differunt, verum etiam ratione qua usurpantur; quatenus ad paucas uncias intestino iniici debent, nec prius immitti, quam praemissa lotione a faecibus ablutum illud sit, ne secus vix infusa medicamenta elabantur, atque in sanguinem non veniant.

1476. Est interim alia clysteris species quae ad irritandum, cum plurimum valeat, sic ad alvum ducendam, atque ad intestina acriter stimulanda usurpatur, fumus scilicet, quem folia *Nicotianae tabaci*, iam pluries indicati (§. 481. 1050.) combusta emittunt in alvum ope fistulae, aut magis idoneae machinulae modo subinde, modo indesinenter immissus. Haec siquidem medendi ratio, quam inter Anglos medicos quidam in pertinacissima alvi obstructione, in ileo, atque in hernia incarcerata primi amplexi sunt, invaluit maxime ad eos suscitandos, qui ex mephitici aeris viru, submersione, suspendio, aliisque

caussis asphyxia oppressi mortem mentiuntur. Varia idcirco machinamenta, quibus facile, et tuto in intestina posset fumus intrudi, invecta fuerunt a SCHAEFFERO, HAENIO, GAUBIO, aliisque, licet hodie ab eodem GAUBIO proposita machinula commodior habeatur (*a*). Eiusmodi quippe instrumenti subsidio fumus Tabaci intestino ingressus acri, quo pollet stimulo non crassa tantum lacescere, eoque quaquaversum operante ad ordinatum, validioremque motum eadem revocare communiter traditur, verum etiam tenuia quoque intestina, propagata irritatione, afficere, ac praesertim, ubi ipse fumus ad eadem perveniat ob coli valvulam aut diductam, aut imperfectam, aut, quod rarius est, deficientem. Hinc eius usu intususceptiones intestinorum tolli, vires excuti, ac faeces tutissime educi tum arguebant, tum experientia suffulti Praestantissimi Medici affirmabant, quando insurrexere alii docentes clysteria ex fumo Tabaci numquam utilia, aut necessaria, imo tam acria, ac noxia plerumque esse, ut Veterinariis, non Medicis opportuna sint.

1477. Quaestionem hanc iamdudum attigi eo loco, quo factis in Animalibus quibusdam periculis, quibus idem fumus ad soporem, et mortem usque extat infensus, curabam evolvere proximam caussam, ob quam

(*a*) Advers. var. argum. l. 1. c. IV.

narcoticum, ac summopere exstimulans virus Tabaci tam nocuum, ac lethiferum existit (*a*). Cum autem cognovissem sensum nervorum, musculorumque voluntati parentium irritabilitatem virus hocce primitus aggredi, atque utraque vi deleta, licet non protinus quae in corde est, animalcula quaedam perimere, coniiciebam verisimillima admodum esse, quae PORTALIUS ad eiusdem fumi usum limitandum, atque in quibusdam casibus proscribendum in medium attulerat. Docuit nimirum pluribus rationum momentis usus Tabaci fumum submersione, ac mephiti in syncopem lapsis, mortemque mentientibus officere potius, quam prodesse, iisdemque certius auxiliari Lotionem ex Vino emetico, et Colocynthide paratam; tum inutile nidore carbonum oppressis esse praesidium, et nocuum futurum si apoplexia iam accesserit (*b*). Quamquam autem, quae protulit PORTALIUS argumenta, quaeque ipse ex effectibus huius fumi in Animalibus ad novum iisdem pondus afferendum adduxi, quaeque Cl. MARTINIUS in eandem rem observata attulit, non tanti fiant, ut HAENII, aliorumque contrariam opinionem prorsus evertere existimentur; sunt tamen eiusmodi, quae sicuti anceps anxilium in adductis casibus declarant, sic non levem in eius usu diligentiam, atque animadversionem

(*a*) De Animal ex Meph. interit. Lib. III. cap. II.
(*b*) Sur l'usage de Fumigations etc.

ab Artifice adhibendam esse aperte significant.

1478. Cautissime quoque in herniis, et volvulo, in quibus morbis saepe utilissimus extitit, tentandum esse fumum Tabaci quis non fatebitur animadvertens fastidium, vomitum, vertiginem, leypothimiam, aliosve affectus plerumque concitare, etiam quando opportune, ac rite adhibetur, atque opem deinde praestat? Ego quidem ita existimo sive in hisce affectibus tentetur, sive in caeteris quibus auxiliatur. In Colicis porro spasmodicis a nimia nervorum sensilitate ortis, quibus alvi adstrictio se adiunxerat, insigne auxilium praestitit, remediis aliis, etiam Opiatis incassum antea adhibitis; maximeque profuit, ut quam plurimae observationes Clinicorum evincunt, in Colicis doloribus, etiam pertinacioribus, quos coacervatae nimium faeces, aut diu haerentes concitaverant. Praestat enim hoc in casu insigne remedium, cum fumus eo delatus, quo nequeunt Lotiones, cuncta pervadat, dilatet, expendat, atque ubique irritationem inferens motum peristalticum tam opportune, atque aequabiliter incitat, ut faeces, superatis impedimentis, expellat.

1479. Locus insuper moneret, ut aliqnid proferrem de usu Aquae opportuno instrumento in anum immissae tanta vi, ut ultra Coli intestini valvulam liquor adscendens ad ventriculum usque deductus vomitu reiiciatur, medendi genere, quod in Ileo potissimum valere ex duabus curationibus cum eo prae-

stitis censuit, docuitque eius inventor Cl. VIDEMARIUS quem experientissimum Virum plurimi facio. Veruntamen cum eiusmodi praesidio nunquam usus sim, neque interfuerim periculis, quae nuper Mediolani suscepta accepi, nescio quo eventu, satis erit attigisse quod ex HAENII experimentis consequitur cum hac machina, fabricatione, atque effectu ei simili, quam ad incendia extinguenda accommodatam Cl. MARTINIUS invenit, accurate institutis tum in Brutis Animalibus, tum in Humanis cadaveribus. Cum igitur visum fuerit Aquam inditam valvulae coli superandae imparem extitisse, atque ea in Canibus mala interdum suscitasse, quae, HAENIO iudice, si Homini acciderent, lethum possent afferre; rationi consentaneum videtur existimare auxilium esse in Ileo, eius maxime caussis perspectis, raro proficuum futurum, ac cautissime tentandum esse, Aqua paullatim, et pauca copia iniecta, ne curationis genus humanitatis caussa propositum, in aegrorum detrimentum, aut perniciem cedat.

1480. Sed aliud auxilium suppetit ad alvum ducendam in difficili, ac fere conclamato casu idoneum, ac praesentissimo revera effectu interdum usurpatum, quod ob actionem suam generali stimulo aucto, sensilitatis conditione protinus mutata, intestinorum irritabilitate valide excussa, et nova humoribus directione praestita, intestinorum tunicas ad tam efficacem contractionem adducit, ut aeris, ac faecum expulsio brevi sequatur. Hoc prae-

sidium affert Aqua frigidissima pedibus, suris, et coxis aegri, interdum ne quidem opinantis, inspersa, aut ventri admota, vel glacei forma imposita. Huius utique remedii usu in Ileo, et Colica a faecibus retentis solutum utilissime ventrem fuisse post Cel. Homium ter vidi; tympanitidem ingentem, cuius pene conclamatae binas curationes hoc auxilio Cl. Rastius absolverat, imminutam adeo observavi, ut deinde aliis remediis malum antea reluctatum, expedite obtemperaret, olim observavi; ac denique pluries reperi nihil hac methodo, ut Ill. Tissotus invenerat, praesentius esse ad ventris meteorismum, qui biliosas, putridasve febres saepe comitatur, discutiendum. Tum enim aggestis faecibus, aere multo, ac valde rarefacto, vermibusque expulsis, viribus erectis, ac spasmis solutis non paucos aegros, qui pessimae notae variolis, aut febribus mali moris speciatim detinebantur, ab horei faucibus quodammodo ereptos fuisse plurimis Clinicorum observationibus nostra potissimum aetate innotuit. Potissimum, inquam, nam ventris inflationem dolore, atque anxietate coniunctam a Cathartico medicamento sumpto iamdiu sanaverat Hippocrates, aliique vetustissimi Medici noverant mirum esse a nervis inter inferiores artus, atque intestina consensum. Hinc, ne obvia exempla afferam ex Neapolitana Schola, quae magnis Clinicis, Cotunnio, Cirillo, Vairo, et Viventio iure superbit, iam pridem Savanarola cum Principem

virum, cui ob alvum diutissime occlusam, et cunctis invicte reluctantem remediis certum nuntiatum erat exitium, super frigidissimum pavimentum nudis pedibus inambulare iussisset, reserato tandem ventre, miraculi instar visus est eum sanasse. Caeterum cum haec medendi varia ratio ob satis manifestas caussas non semper utilis, subinde etiam nocua esse queat, caute, et perraro eam Medicus usurpet, nec unquam obliviscatur moniti, quod de simili remedii usu loquens in Ilei curatione subdit Cel. Quarinius, multa in praecipiti periculo recte fieri, alias omittenda.

1481. Tandem ad Alvum ducentia pertinent Glandes, aut suppositoria, nempe medicamenta oblonga, aut rotunda, vel conica, magis, vel minus solida, minimum fere digitum, si Pueris praestanda sint, medium si Adultis, longa, quae recto intestino inseruntur ad motum peristalticum suscitandum, ad irritationem leniendam, ad roborandum, ac potissimum ad revellendum e superioribus partibus, ad Ascarides necandos, eiiciendosque, ac speciatim ad alvum sollicitandam. Stimulatis quippe recti intestini fibris non solum in eo operantur, sed ad colon usque propagata irritatione quidquid in hoc ipso continetur ad egestionem invitant, et clysteris vices gerunt, ubi hicce nequeat satis retineri, aut ob alias caussas non conveniat. Prout vero Suppositoria vel propria mole agunt, vel simplicium medicaminum admixtio-

rum viribus diversimode componuntur. Hinc prima ex lardo, ficu inversa, cera, farina aqua incocta, vel ex Brassicae, aut Betae caulibus terebinthina, aut oleo inunctis vulgo fiunt, secunda vero ex Sapone, aliisve rebus, ac potissimum Melle ad opportunam densitatem cocto parantur, cui adiici solent pro re nata Sales, Irritantia varia, aut Anthelmintica, ad quae expendenda iam accedo.

CAPUT VI.

De Anthelminticis.

1482. Vermes cum insectis, a quibus satis differunt, perperam alias confusos, in quavis humani corporis parte interdum repertos fuisse; eorum quosdam genere, ac specie distinctos in intestinis proprie, nec raro nidulari; haerentes officere plerumque sanitati; ac medicamenta nobis suppetere, quae cum eos perimant, vel eiiciant, vel utrumque praestent, Anthelmintica dicantur, certum est. Quae vero remedia unum potius, vel alterum efficiant, quaeque utroque modo agant, id quibusdam Auctoribus plane incertum videtur. Quam ob rem hi fidenter constituunt, acriterque defendunt Anthelmintica, neque ad Evacuantia referenda, neque ad singulare remediorum Caput revocanda esse. Praesertim quî existimant nulla occurrere medicamenta, quae absolute Anthelmintica sint; quae praecipua videntur, intestinis potius, quam vermibus, proxime affectis hos laedere, atque eiicere, et generalem proinde, non propriam esse horum actionem; non certa, quae ipsorum vermium praesentiam significent, signa suppetere; et remedia, nisi agerent communi vi, ob vermium dissimilitudinem tot necessarias futuras Anthelminticorum

species, quot sunt Vermium intestinis haerentium. Addunt etiam perperam tradi, quae in uno potius, quam altero vermium genere, aut huius specie auxilia conveniant ob phaenomenorum defectum, aut ambiguitatem, quae genus, aut speciem ipsam haerentis vermis praemonstrent; plerumque solis naturae viribus vermes propelli; eosque connatos saepe sine alio gravi incommodo diutissime hospitari, ac quibus solent obesse rectius prospicere praesidia, quae eorum evolutionem impediunt, quam illa, quae eos interimunt, atque educunt; quae vivis eiectis vermibus applicita eos certo, et confestim perimunt, non posse sine discrimine intus usurpari; ac denique mala, quae vermibus referuntur, aliam originem habere, eosque vermes revera morbi effectum esse, non caussam.

1483. Hisce tam multis quidam tentant nobis obsistere. At perperam haec, atque alia similia mihi obtrudunt. Nam, ut mittam quaedam remedia inter Anthelmintica iamdiu recepta eorum agendi rationem satis ostendere, notum est quae vermes tantum enecant, aliorum coniunctione, aut usu, quae enecatos eiiciant, ita indigere, ut id, quod verminatione praesente omnem curationem explet, ac sanitatem tuetur, aut a vermibus iam laesam restituit, ad Evacuantia ultimo saltem loco referendum sit. Alterum vero quod admittunt, spectata Anthelminticorum natura, ea omnia ita vel ad Amara, vel ad Purgantia medicamenta pertinere, ut proprium ge-

nus constituere non possint, falsum est. Nam licet Anthelmintica quaedam amaritiem ostendant, qua gustu valde iniucunda sint, quaedam tamen eadem carent, atque Amara pleraque, et quidem magis valida, ut deinceps tradam, parum, aut nihil vermibus infensa existunt. Nec omnia Purgantia, aut vicissim omnia Anthelmintica vermes enecant, aut ista, quos perimunt, una deiciunt.

1484. Temere autem docent proprie Anthelmintica desiderare hactenus Medicinam. Caret quidem uno, quod semper, quodque omne vermium genus enecet, atque expellat, quo in sensu Specificum Anthelminticum si dicant adhuc desiderari, haud repugnavero. Veruntamen non destituitur rebus aptissimis, quae propria virtute, ac certo plerumque effectu, qui ab aliis remediis perperam expectaretur, certis vermium speciebus adeo sunt infensae, ut vitam ex iisdem vermes amittant, fere stupidi, atque ad nocendum impotes fiant, aut convulsi exitum e corpore petere cogantur, nisi etiam ob coniunctam vim alvum molientem sive perempti, sive adhuc vivi inferius descendant, ac foras cum reliquiis ciborum, ac muco erumpant. Quae quidem remedia cum saepius coniecturae respondeant intrinsecus data, eorumque etiam aliqua iisdem vermibus ex humano corpore eductis adhuc vivis, atque integris applicita mortem inferant; cur propria vi contraria vermibus esse, ac recte Anthelmintica dici quis iure poterit denegare? Quoties autem

experimentum cum vermibus humani corporis captum succedit, quemadmodum pluries cum vario remediorum genere contingere vidi, cur ex eiusdem eventu, nec probabili coniectura vim anthelminticam prospici, aut usu compertam nullatenus confirmari posse quis arbitrabitur? Si quae egit Redius cum Lumbricis terrestribus ad Anthelmintica illustranda omnium fere consensione non inutilia extiterunt, cur aptiora non erunt quae cum ipsis vermibus ad humanum corpus pertinentibus suscipiuntur, ac prudenter, et coniecturae loco solent usurpari? Cum ita censerem, saepius Anthelminticorum effectus hoc etiam modo periclitatus sum, nec laboris sane poenituit.

1485. Et re quidem vera ex istis perspicum fuit alterum cognoscere, quod est in quaestione, pleraque nimirum Anthelmintica sua vi, et quidem proxime vermibus nocere, non actione intestinorum, ut quidam proposuerunt. Hoc enim periclitationis genere aditus omnis praeclusus est eorum dubitationi, qui non satis tribuebant observationibus Clinicorum affirmantium quaedam Purgantia, etsi valida, nec una donata virtute, qua dum contractiones suscitarent intestinorum non leves, ac peristalticum motum admodum intenderent, mucum pariter, in quo veluti in nido foveri, atque irretiri vermes dicuntur, resolverent, imparia nihilominus vermibus enecandis, atque eiiciendis fuisse. Est itaque in ipsa corpora vermium actio

quorundam Anthelminticorum manifesta, licet fatear lubenter, quaedam proxime in intestina operando prodesse, vel ideo opportuna fieri quod mucum resolvant, atque educant. Scio equidem animadvertere Ill. GREGORYUM (*a*) minus certum esse, quam plerisque videatur, nimium, ac forte morbosum mucum intestinorum ovula, e quibus vermiculi deinde erumpant, excipere, ac fovere, vel iuxta alios iisdem evolutis tutelam, aut pabulum praestare. „ Quamvis enim, inquit, „ Pueri, quam Adulti vermibus multo fre„ quentius laborent, minime constat eorum „ intestina magis esse mucosa. Mucus etiam „ qui a verminosis saepe per alvum excerni„ tur, effectus potius, quam caussa mali esse „ potest, intestinis scilicet laesis, et infirma„ tis, et ab hospitibus infestis haud parum „ irritatis: praeterea, lumbrici ipsi admodum „ mucosi sunt, et mucus qui excernitur, ab „ ipsorum fortasse corporibus magna ex parte derivatur „. Sed sufficit copiosiorem, a quacumque caussa demum sit, mucum adesse, sicuti revera eius iam erumpentis, sive sponte, sive vi remediorum copia declarat, eoque prodeunte vermes e suis sedibus deturbari, atque una saepe deici, sicuti pariter experientia passim docuit, ut assequamur utilitatem, quam in verminatione non raro praestant

---

(*a*) Op. cit. n. 1626.

quae mucum ipsum resolvunt, ac resolutum ex alvo eliminant.

1486. Reliquae vero, quae proferuntur obiectiones (§. 1482.) neque nos speciatim omnes afficiunt, at potius qui Semeioticen, ac Pathologiam tradunt, neque, sive illae, sive caeterae ad nos pertinentes, eiusmodi sunt, quae facile, et tuto dilui non possint. Enim vero quamquam Vermium indicia ita fallant; ut interdum vix ullo cum signo in cadaveribus humanis adfuerint, interdum contra multiplici signo praenuntiati in iisdem inventi non sint, quemadmodum iam animadverterat MORGAGNIUS (*a*); attamen rarum admodum est peritum Medicum decipi. Qui nimirum animadvertat a nervosa passione praesente, atque a gastrica colluvie primas vias haerente, phaenomena posse suscitari, quae incautis pro vermibus imponant, quemadmodum Vulgum apud nos saepe falli, maxime in Infantibus, et Puerorum morbis aestimandis passim experior, ac perpetuo non uno, aut altero signo, at pluribus simul sumptis innitatur, rarissime coniectura sua periclitabitur. Quin imo nec unquam eum decipi posse perspicuum est quando ipsi iam vermes vel ex alvo, vel ex ore prodierint. Quod quidem de genere, aut specie Vermium dubium omne removet; si quando symptomata, quae revera nobis generatim tuta sup-

(*a*) Epist. 31. art. 6. et Epist. 34. art. 26.

petunt, huius quoque rei notitiam longe utilissimam nondum praebuerint. Hoc enim constituto certior est medicinae locus cum Artifex queat propriis, non communibus uti remediis; quae pro vermium discrimine speciatim idonea, ac necessaria esse Clinicorum sedulitate cognovit.

1485. Neque ex eo quod connati Vermes esse Homini queant, aut diu haerentes non semper saluti minicentur, consequitur nullam esse Anthelminticorum necessitatem. Primum enim non evinceret unquam quod, animadvertente GREGORYO, nonnulli olim tradiderunt, vermes nimirum nocere tantum cum idonei alimenti defectu ob nimiam eorum copiam, vel ob corporis aegritudinem intestina gravius lacesserent, ac forte suum domicilium roderent (*a*); multoque minus quod alii falso tradidere veluti necessarios digestionis operi, excitandisque, praesertim irritatione sua, intestinis nobis eos indidisse naturam. Neutrum, inquam evinceret allata eorundem vermium origo, etiamsi eadem verissima demonstraretur. Quoties enim Medici de eorum ortu, atque evolutione quaerunt, toties dubii haerent, num Cel. GHETIO connatos vermes reputanti, an contra Ill. PALLASIO adventitios, atque interius delatos affirmanti subscribant. Nec quidem immerito inter utriusque argumen-

(*a*) Op. cit. n. 1628.

menta nutare solent. Etenim quae speciatim de vermibus in foetibus repertis materno adhuc utero conclusis, de iisdem non omnibus haermaphroditis, de quorundam propagatione si transversim secentur, de Taenia nullibi, nisi in humano corpore hactenus reperta, de eorum vermium discrimine cum caeteris, quae in Animalibus aliis reperiuntur, ac de quibusdam non ex ovulis evolutionem habentibus, quatenus vivipari sunt, (sicuti iamdiu PLATERUS, ZAMPONIUS, et MATANIUS, aliisque observaverant), adduci solent ad priorem sententiam constituendam, licet magni ponderis videantur; ita tamen dilui possunt, ut adhuc ambigendum sit, num altera verisimilior habenda, ac rectius sequenda opinio sit. Quare memini disertissimi Viri in hanc rem olim tanto utrinque argumentorum subsidio disputantis, ut cum una die priorem sententiam acriter defendens omnium suffragia consequutus esset, postridie ab ea discedens atque alteram veriorem demonstrare annisus eam tam invicte sustinuit, ut Auditores omnes, qui ob anteactam disputationem contraria erant opinione ducti sententiam ultro mutarent.

1486. Alterum autem quod respicit quamquam verum sit quosdam Vermes sine incommodo satis manifesto diu ferre, ac quosdam sine ullo remedio eos cum reliquiis ciborum naturaliter deiicere, non excludit nocere plerumque, et generatim medicamentis ad eos enecandos, eiiciendoque opus esse. Id tam

notum cuique est, ut probatione non egeat, cum Vermes affectus concitando qui omnes fere morbos simulent miras molestias suscitent, ac teneris maxime Pueris, convulsionibus, colicisque doloribus accersitis, pessime noceant. Hisce igitur protinus esse occurrendum aptis auxiliis quis est qui non videat, cum nobis suppetant, quae vermibus ita sunt infensa, ut intestina non laedant? Quis proinde non sentit diaetam, quae eorum evolutioni adversetur, verminationi saepe obnoxiis opportunam quidem esse, malis autem ex ea natis protinus, ut decet, removendis imparem futuram? Profecto quae damna ex adhibitis Anthelminticis quandoque observata eorum viribus referuntur, pendent potius a prava iisdem utendi ratione, quam instituunt qui acriora, et periculosa lenioribus, et plane innoxiis temere praeferunt; qui nimia copia quaeque adhibent, nimis crebro exhibent, et, cum Purgantia una conveniunt, non aptis vicibus praebent, nec recte Anthelminticis interponunt; aut qui denique indiscriminatim ex vermium deiectione, cum inconsiderate statuerint praecipuam, ac primariam, vel unicam caussam morbi eosdem afferre, huius observatione prorsus neglecta, omnem fiduciam in Anthelminticis collocantes iisdem abutuntur, atque aegritudinis effectum oppugnantes, non caussam, aegrorum res in deterius, imo in exitium ruere sinunt.

1487. Itaque cum plane necessaria Medentibus auxilia afferant Anthelminthica, eo-

rumque votis explendis paria nobis suppetant, quae revera vermes enecent, aut deiciant, aut utrumque praestent, nostrum erit ea breviter proponere. Cum autem nonnulla, quae in uno vermium genere, atque in una specie maxime conveniunt, non aeque in dissimilibus prosint, atque omni pene utilitate careant, commodum videretur de Anthelminticis remediis sermonem ita instituere, ut primum ea proponantur, quae cum habeantur in omni casu opportuna, aut saltem non prorsus inefficacia, Communia Anthelmintica sunt, deinde reliqua traderentur, quae singularibus tantum necandis, eiciendisque vermium speciebus idonea, aut necessaria, Specialia nominantur. Ita quidem expediret, nisi, quae propria sunt, tam pauca essent, nisi pleraque quovis in casu expedirent, atque ubi sive in symptomatis constituendis, quae singulas species Vermium certo declarant, sive in determinandis remediis, quae speciatim adversus singulas expedirent tantum profecissent nostrae aetatis Medici, quantum LINNAEUS, GHETIUS, RHETZIUS, PALLASIUS, aliique illustrarunt vermium historiam, qui ad humanum corpus referri possunt. In teretes quippe, et latos cum vermes distinxerint, ac deinde ita in sua genera, ut ad primos *Ascaris* cum suis speciebus, ad secundos sub triplici genere *Taeniae*, *Fasciolae*, et *Gordii* species reliquae venirent, confusionem, quae in hac re alias occurrebat, removerunt.

1488. Solent idcirco Materiae medicae Scriptores Anthelmintica eo ordine exequi, ut, singula rimando genera remediorum, tradant, quae sub iisdem occurrunt ad necandos, eiiciendosque Vermes accommodata. Quare cum melior ratio hactenus praesto non sit, eandem ipse quoque sequutus iam monebo dissimilia prorsus natura, origine, et proprietatibus esse, quae ad Anthelmintica pertinent; unde perspicuum sit, non omnia eodem modo Vermes afficere. Sunt scilicet, dicam cum Ill. Gregoryo, quae vel laedunt „et lacerant tenera eorum corpora, vel iis „veneno sunt, vel ipsos tantum infirmant „aut stupefaciunt, vel illis adeo ingrata sunt, „ut hospitio suo sponte decedant, vel de„mum quae vermes neque laesos, neque „veneno necatos, neque domicilii sui per„taesos, quasi vi, et armis foras expellant (a). Quare accidit, ut diversissimae inter se res ad vermes enecandos valeant, et quaedam sint iisdem perimendis pares, quae animalculis aliis haud nocent, et contra quaedam istis valde perniciosa, et cito lethifera vermibus parcant.

1489. Ut autem initium desumam a simplicioribus tamquam Anthelminticis sive laudatis, sive usu receptis, inter ea Aqua frigidissima recensetur, quatenus visum est hu-

---

(a) Op. cit. n. 1632.

manos etiam Vermes in eam iniectos protinus convelli, atque ita obrigescere, ut mortui appareant; tum ea sumpta vermes ipsos quandoque fuisse ad salutem deiectos. Ita quidem cum humani corporis Vermes frigore male affici, eoque gravius, quo maius est, certissimum sit, ac non una observatione compertum stimulo simul, et robore intestinis tum praestito, frigidissimam aquam valuisse ad Vermium molestias protinus sedandas, atque interdum ad eos expellendos; quod speciatim animadversum est, et novissime etiam traditur de *Taenia vulgari* quam cum Pallasio *membranaceam* diceremus. Veruntamen oportet animadvertere Vermes, qui frigidissima aqua perculsi mortem mentiuntur calore admoto, aut calida maxime aqua affusa illico excitari; ac nisi subinde hausta frigida admodum aqua huius actio in longum protrahatur, parum durare commodum quod initio attulerat; tum tam insolito, et magno frigore nimium plerumque Puerorum stomachum, ubi praesertim convulsio iam coeperit, contrahi, ac convelli, ut eiusmodi generatim medendi ratio istis expediat. Ergo eam speciatim probare soleo, atque optimo cum effectu adhibere quando in gastricis, putridis, ac nervosis febribus post cacochyliam etiam magna ex parte eductam vermes, qui aegrum magis, imo graviter laedant, supersunt, fractis ad expellendum necessariis viribus. Frigus enim, sive ab aqua frigidissima crebro, et parce hausta, sive ab ea, vel glacie exterius

admota praestitum, dum vires excitando morbo mirifice auxiliatur, intestinis ipsis ad validam contractionem adductis, cito, et tuto vermes foras propellit.

1490. In caeteris vero casibus, si lene Anthelminticum conveniat, frigidissimae Aquae aquam frigidam Salsam arte paratam, vel usitatam apud nos *Tetuccianam* aliamve Mineralem, aut medicatam, praesertim ob Salem marinum, quem vehat, antefero. Notum siquidem est *Muriatem sodae* seu Salem communem, aut marinum, quod etiam ranis, aliisve minoribus animalibus inspersum, vel intrinsecus datum, ut alibi tradidi (*a*) exitio est, Vermes humani corporis gravissime laedere, atque interficere: quod de *Ascaride lumbricoide* speciatim Medici perhibent. Sed cum ob suam acritatem, aliasve caussas, quas eo loco proposui, cum ea dosi, et forma, scilicet non apte dilutus, et contemperatus ille Sal dari innoxie nequeat, qua certo posset vermes ipsos infirmare, multimode laedere, e suis sedibus detrudere, interficere, atque eliminare, ubi solutus aqua ea proportione, quam Marina, aut quaelibet Mineralis habet, (ut ea quae in Comitatu Laudensi in Collibus S. Columbani occurrit, medicis usibus, sicuti alias dicam, nisi tot sordibus obsideretur, idonea), non sufficiat

(*a*) Opus. Therap. Vol. I. pag. 125.

a Clinicis exercitationibus non propinatur, at solum clystere in alvum apte infunditur, quando Vermes rectum intestinum obsideant.

1491. Ex illis vero, quae alibi retuli, cum Sale et Saccharo (*a*) pluribus praestitis experimentis, observationibusque tam perspicue enitet quid hodie censendum sit de Dulcium rerum usu, (quas Vulgus ad vermes evolvendos, incitandosque aptissimas reputat, Medici autem quod ille Saccharo, et Melli refert, farinae, butyro, aliisque ad varias bellariorum species parandas additis rectius tribuentes, in verminatione convenire credunt); ut non possim non iisdem verbis propriam sententiam referre (*b*). Porro etsi aegros post Saccharum largiter assumptum Vermes deiecisse cum Andryo non pauci observaverint; attamen, et multum Sacchari ad id requiri, et eo etiam ingesto rarissime Vermes, praesertim maiores, e suis sedibus deturbari, interire, ac foras erumpere pluries vidi. Vidi namque pueros, et Iuvenes, quos Vermibus laborare (ascaride lumbricoide laborabant) non solum suadebant phaenomena; sed eorum expulsio, quae per os, aut anum sponte acciderat, evidenter monstrabat, post unam saltem unciam sacchari, quod propinaveram, nec Vermes eiicere, nec ab eorum molestiis manifeste levari; dum hae interea cessabant,

(*a*) Op. cit. Opusc. III. (*b*) Loc. cit. pag. 131.

Vermibus modo vivis, modo iam mortuis abunde deiectis, cum deinde pauca grana seminum Santonici, Valerianae Sylvestris, et Rhabarbari aegri assumpsissent. Hinc non immerito videntur sapientiores Materiae medicae Scriptores, cum Anthelmintica recensent, Saccharum, Mel, aliaque ex iisdem parata inter ea remedia collocare; quorum effectus Medicorum votis perraro respondent. Quin imo, etsi concedam Saccharum Vermes multimode laedendo, e nido deturbando, atque expellendo anthelminticum esse sat efficax; censeo, non semper innocuum futurum ea dosi datum, quae solum par esse potest vermibus perimendis. Quoties enim acidum in primis viis haereat, et quidem ea copia, qua vel per se, vel paullo auctum nocere queat; toties non poterit Saccharum largiter ingestum non aegris obesse, proprio, quo constat, acido evoluto. Quare plerumque non sine aliquo discrimine infantibus (qui quidem apud nos adhuc materno lacte nutriti non raro vermibus laborant) et pueris idem Saccharum audacter dabitur sane, in quibus, ut notissimum est, tam crebro cum Vermibus acidum in primis viis occurrit. Quod ii potissimum animadvertant velim, qui solo adhuc student Saccharo, Redii potissimum innixi periculis extra humanum corpus institutis, stomachi, atque intestinorum Vermibus mederi.

1492. Vinum etiam, atque Acetum ad generalia Anthelmintica referuntur; quamquam

non pari iure. Etenim illud, etiamsi fumosum fervidumque aliquid in vermes possit, maximeque possit acidulum vires una reficiens, ut Rhenanum, atque Austriacum multae aetatis, apte roborando, atque intestinorum motum etiam concitando commodi aliquid praestare, mihi potius idoneum videtur ad evolutionem Vermium inhibendam in obnoxiis opportunius, atque ad verminationis molestias coeercendas aptius, quam ad eos perimendos, eiiciendosque. Alterum vero, quod ex factis in Lumbrico terrestri experimento anthelminticum iam coniecerat TORTIUS, ac verisimilius tradiderat DOEVERNIUS cum Lumbricos ex homine eiectos aceto inspersos pessime affici didicisset, (a) longe praestat omnium Clinicorum consensu, qui tamen neque ad omne eorum genus perimendum usurpant, neque perpetuo, quando *Ascaris lumbricoides* praesto est, adhibent, at speciatim ob alias prorsus eximias, atque opportunas vires quando vel febris, vel quilibet alius morbus gastricae, putridaeve, ut dicunt, indolis cum Vermibus complicatur. Acetum proinde utilissimum mihi extitit saepe in hoc rerum statu, ac praesertim extitit superiori anno, cum tertia fere pars Mulierum, quibus vario morbo laborantibus, interdum sine febre, erat a me in Valetudinario medicina facienda, Lumbri-

---

(*a*) De Vermib. Intestin. p. 68.

cis, quorum aliquot cum faecibus ultro etiam deieciebant, obsiderentur.

1493. Emetica etiam, ac Purgantia ad generalia pariter referuntur auxilia, quibus verminatione detentis subvenimus. Nam illa ubi Vermes vel ob copiam, vel ob alimenti defectum, vel ob aliam caussam e solitis locis aufugiunt, ac sursum delati ventriculum obsideant, atque haerendo, aut exitum tentando molestias suscitant, optimum locum inveniunt. Facile enim, et tuto excutiuntur; quod nec semper, nec sine praevio incommodo praestat Natura, dum eos eiicit, qui interdum narium subeuntes foramina ex istis potius, quam ex ore, ut cuique notum est, foras erumpunt. Praestant etiam Emetica utiliorem adhuc opem, quatenus praesertim ex Stybio sumpta et vermium corpora laedunt, et simul ex alvo deiiciunt. Purgantia vero, etsi magnopere adversus Vermes generatim valeant, non omnia tamen ad ducendam alvum etiam accommodatissima probari possunt, aut reapse a Clinicis solent. Quandoquidem efficacitatem eorum, quae laxando, aut emolliendo agunt, vel quae exiguo pollent stimulo, vel quae omni tenuandi, et resolvendi facultate destituuntur, generatim Vermes eludunt. Quare, istis exceptis, sive vermes infirment, et perimant, cum eos deiiciunt, sive adhuc integros et vivos educant, probantur Purgantia modo quae per se resolvendi, ac stimulandi vim habent, ut Sales Cathartici amari, vel ab addito Tartaro emetico, aut similibus acci-

piunt, quae opportuna maxime Anthelmintica evadunt, quando Vermes ob copiam muci vel parietibus intestinorum adfixi, vel eodem involuti a reliquorum medicaminum noxis immunes fiunt (quo in casu vel praemitti, vel interponi remediis caeteris Anthelminticis, ipsisque Emeticis apte solent) modo quae Validissima sunt, suo iam loco abunde proposita: quae quidem praesentissima plerumque existunt. Vim quippe contra Vermes agnoscunt non solum ex manifesta, nec levi, qua pollent acritate, atque a reliquis qualitatibus, verum etiam, ut videtur, a singulari, qua donantur, odoris, saporisque ratione vermibus plane invisa, atque exitiosa.

1494. Quae odora interim sunt, quaeque Amara sapore dignoscuntur medicamenta, perperam olim ea omnia Medici Anthelmintica iudicarunt, eademque ad exturbandos, eiiciendosque Vermes aptissima Vulgus adhuc arbitratur. Ferunt enim, quin vel convellantur, vel pereant effluvia quarundam rerum, quae nobis halitu prorsus invisa sunt, ut ipse didici, ferunt etiam, ut Redio certius cognovi, quarundam pariter saporem, quae nobis gustu ingrata, atque amarissima existunt. Nam quod ille observaverat in Lumbricis terrestribus, scilicet in infusu *Artemisiae absynthii* amarissimo coniectos Vermes diu vitam duxisse, ego in Lumbricis humani corporis vidi, tum eodem usus infusu, tum ex aliis Amaris stirpibus comparato, ne dicam experimentum pari modo cedere si cum infusione Colocyn-

thidis suscipiatur, quam novimus cum magna amaritie nauseosam quoque, atque acrem esse. Quam ob rem in aestimandis usibus anthelminticis medicaminum, quae inter Amara eminent, ita a Priscis Recentiores Medici desciverunt, ut nunc moneant, illa, quae purgandi carent facultate, quatenus roborant, digestionem adiuvant, acorem primarum viarum avertunt, et motum peristalticum intendunt, ad vermium evolutionem inhibendam in obnoxiis idonea esse, reliqua vero proficua ob communem cum Validioribus purgantibus deiiciendi facultatem. Quo quidem fine postrema ista acriora in verminatione propinant, imo eadem in Infantibus, tenerisque Pueris illiniri permittunt, quoniam animadversum est eadem, ac speciatim Oleum Colocynthidis, Unguentum de Arthanita, ac similia dum alvum solverent vermes quoque interdum eduxisse.

1495. Haec generalia Anthelmintica constituere dicuntur, si tamen addimus *Olea fixa* seu expressa, ac praesertim quae frigore tardius concrescunt, adversus Vermes vel antiquitus magni facta. Ea quidem sive spiramentis Vermium occlusis, ut videntur ostendere Redii experimenta, sive alio quocumque modo agant, tum per se, tum Vino, Oleis volatilibus, Aromatibus, Purgantibusque admixta, dummodo unciatim sumpta sint, contra Vermes generatim valent. Hinc omnia illa (§. 680. et seq.) singillatim exposita convenire possunt, etsi quaedam maiorem

famam consequuta sint. Enim vero Amygdalarum, atque Olivarum oleis Vermibus infensius censetur Oleum Seminum Lini, et magis adhuc Oleum e nucleis *Iuglandis regiae* quod tamen tum ad teretes, tum ad latos vermes necandos nunquam apud Medicos nostrates, ut iam volui indicare (§. 684.) eam fiduciam obtinuit, quod Vulgus in eo olim collocaverat; dum hi aequiori iure aptius censent Oleum Ricini (§. 1384. et seq.) quod sane in universum Vermibus omnibus contrarium, ac cum alvum expedite ducat aliorum coniunctione non indigens, *Taeniae*, ac speciatim *latae* inimicum esse, eamque perimere, atque expellere ex observationibus in Germania, Anglia, Gallia, atque Italia institutis tuto deducunt. Specialia autem Anthelmintica, aut Propria sunt ea, quae nunc exequar, saltem praecipua, quae vel alias utpote laudatissima usu invaluerant, vel hodie maxime adhibentur. Ea siquidem plura sunt, atque agendi dissimilitudine inter se non parum diversa; ita ut, licet videatur principium actionis, quo vermibus noceant, valde adhuc obscurum, non unum tamen in iisdem praesto esse communiter iudicetur. Nam in quibusdam proprius quidem, seu specificus, ut dicunt, odor detegitur, quo alia Anthelmintica non pollent, in quibusdam sapor adest amarus, aut singularis, quo alia plane carent; tum acredo in nonnullis est, quae in aliis, saltem manifesta, non detegitur, vis una alvum ducens in aliquibus notatur, quae nullo

modo in aliis se prodit; ac demum origo in iisdem, ac natura tam diversa est, ut alia Vegetabilia, alia Fossilia sint. Sed quaecumque sit eorundem, quo ad actionis principia, ac qualitates, differentia nobis satis erit eorum efficacitatem, ac rectum usum adversus Vermes perspicere ex singulorum recensione, quam aggregior incipiens ab Amentaceis stirpibus. Ex istis Anthelmintica censentur *Salicis pentandrae* cortex ad mediam unciam in decem Aquae leviter coctus, et partite ore sumptus, vel in alvum infusus contra Vermes ad Ascaridis genus spectantes, qui tamen non multum efficax est; *Iuglandis regiae* cortex viridis fructus exterior qui tum in decoctu tum in Extracto aquoso a medio scriptulo ad unum, vel alterum, non levem adversus Ascaridem lumbricoidem potentiam ostendit, praestatque nucleis abunde ingestis, quos tamen contra Vermes latos HIPPOCRATES probaverat; et *Betula* item *alba*, quatenus eius oleum, betulinum dictum, efficaciter Vermes perimere illinitum traditur.

1496. Sed e compositis Stirpibus longe plura, atque efficaciora Anthelmintica trahi solent. Eminent inter eas stirpes contra vermes duo genera, *Artemisia* nempe, et *Tanacetum*. Nam, ut mittam commodum, quod interdum in verminatione, ut dixi, aliis praesertim remediis admixtae afferre possunt *Artemisiae* species variae, *vulgaris*, *abrotanum*, *maritima*, *rupestris*, et *pontica*, quas alibi sum exsequutus, (§. 794.), *Artemisia iudai*-

ca, semina Medicamentariis officinis praebet (licet virtute similia ex aliis quoque speciebus peti possint, atque alicubi reapse soleant) quae nomine Santonici, vel Cinae, vel Seminis contra, vel Seminis Sancti indiscriminatim vocata, usitatissimum anthelminticum remedium, maxime Pueris, Infantibusque largiuntur. Semina eiusmodi levia, minuta, oblonga, cauliculis, et membranis mixta ex luteo, et viridi fusca, valida, diuque persistente leviter acri amaritie, et halitus penetranti, gravi, et proprio distincta, in pulvere a granis quinque ad duodecim, aut viginti, vixque supra in pulverem trita, vel cum lacte, vel cum grato aliquo syrupo Infantibus exhibentur, tum a granis viginti ad drachmam dimidiam, vel ad duo scriptula Adultis modo pulveris, modo boli, modo tincturae, modo extracti forma. Verum cum non semper, quos interimit lumbricos, quibus speciatim extat infensum, semper educat, communiter Purgantibus, nisi haec interponenda potius videantur, admiscetur. Commodissima proinde apud nos Santonici adhibendi ratio esse solet ea, qua Infantibus idem propinatur, vel in modum Confectionis, quae praeter Saccharum, quo Semen obducitur, hic recipit etiam infusum Rhabarbari, et Sementina vulgo dicitur, vel datur cum Syrupo Cichorei cum Rheo; tum Adultis, qui interdum Santonici Morsulos, ac Santonici Rotulas una Rhabarbarum pariter habentes praeferunt, ita praescri-

bitur cum radice Valerianae sylvestris, ac cum eodem Rhabarbaro, ut ex cuiusque scriptulo pulvis emergat, qui drachmam aequet. Hoc modo alvi ductioni recte, et tuto prospicitur, tum certiori effectui, quia oporteat ad drachmam dosim Santonici extendere, quae irritando, et calefaciendo interdum non leviter sumentibus obsunt. Hinc licet quidam testentur hac dosi *Taeniam* sive *vulgarem*, sive *latam* Santonico interdum expulsam fuisse, ad eam perimendam non usurpatur; et quidem iure, quoniam saepius ad eam exturbandam, eiiciendamque non valet. Alterum vero, quod mox dicebam, Compositarum genus, nempe *Tanacetum* in pretio est inter Anthelmintica, quia *Tanacetum vulgare* seu Tanacetum, praeter herbam, et flores, ac praeter ipsum Extractum Tanaceti, et Oleum destillatum Tanaceti, quibus singulis vis contra vermes non levis utique tribuitur, semina habet, quae Artemisiae iudaicae seminibus non solum ob parem efficacitatem illis succedanea, sed utpote sapore, atque halitu non adeo ingrata anteferenda iudicantur: quod tamen video a quibusdam denegari.

1497. Ex eisdem Compositis desumuntur quoque ad vermes necandos aliae stirpes aliis quidem locis, quae apud nos in usum non veniunt. Non utimur siquidem herba *Santolinae chamae-cyparissi* seu Abrotani feminae, aut Santolinae, non radice *Inulae helenii* seu Enulae campanae, non floribus *Arnicae*,

non-

montanae seu Arnicae ad vermes enecandos. Ex Aggregatis vero frequenter sumi solet radix *Valerianae Officinalis* seu Sylvestris (§. 913. et seq.) quae revera tam eximia adversus lumbricos existit, quos enecat, quosque adiuta apto purgante remedio, vel interposito deiecit, sicuti alibi evici (*a*) ut eadem, neglecta *Valeriana celtica*, recte usu anthelmintico apud nos quotidie invalescat, et verisimile reddat, quod nuperrime traditur, eam scilicet contra Taenias ipsas non inutilem, imo opportunam futuram. Ex Umbellatis stirpibus tamquam anthelmintica proponunt Medici, succum instar extracti inspissatum radicis *Dauci carotae* seu Dauci sativi, qui Infantibus lumbricis obnoxiis commodissimus censetur; succum concretum *Ferulae assae foetidae* (§. 917.) sive Assam foetidam, quae revera eximia est; extractum *Conii Maculati*, quod interdum in lumbricis expedit; atque alia istis similia, et minus adhuc usitata. Ex Sarmentaceis radices *Aristolochiae serpentariae* atque *Asari europaei*, quarum alibi memini, laudantur, nec quidem immerito, licet fine Vermes necandi inusitatae sint. E Stellatis autem praestantissima sane *Spigeliae marilandicae* radix habenda esset postquam Clariss. Virorum Gardenii, Chalmersii, Homii, aliorumque experimentis innotuit a granis

(*a*) Opusc. Therap. Op.

octo ad duodecim in pulvere, atque a decem ad viginti in infusu pro Infantibus, tum ab uno scriptulo ad drachmam forma pulveris, atque ab una drachma ad tres instar infusus pro Adultis teretes Vermes per se necare, ac latos etiam cum Rhabarbaro, et Mercurio dulci interimere atque expellere, praestantissima, inquam, esset, nisi eadem plerumque concitatis torminibus, ac convulsionibus accersitis noceret, imo maioris damni metum iniiceret, cum ultra opportunam dosim mortem intulerit.

1498. Afferunt rursus alii stirpium Ordines alia Anthelmintica medicamenta, nempe Cucurbitaceae stirpes *Cucumeris colocynthidis* pulpam (§. 1459.) etsi neque ob eas, quas adduxi caussas, probari instrinsecus possit, neque exterius imposita constanter Vermes eiiciat? Solanaceae, praeter fumum *Nicotianae tabaci*, et eius folia, quae lotionibus ad Vermes haerentes educendos, interdum adiiciuntur, et praeter *Ignatiam amaram*, quae nunquam debet, ut saepius monui, praescribi, duo remedia afferunt, de quibus fuse dixi, Scammonium nempe, et Ialappam (§. 1448. , et seq.) quae sive propria etiam vi, sive tantum cathartica acriori in Vermes operentur omnibus infensa existunt, si Taenias excipimus, quas non satis laedunt, aut aliis remediis minus vehementer aggrediuntur. Papilionaceae duplicem nuper corticem tamquam egregie anthelminticum, qui Vermes intestinorum conficeret, Taeniis exceptis, unum e

Geoffroya iamaicensi, alterum e *Geoffroya surinamensi* nuper praebuerunt, utrumque in Officinis medicamentariis Insubriae vix notum, nec satis adhuc a me exploratum. Uterque in decoctu, pulvere, atque extracto, neque ad multa nimis grana proponitur, diciturque caute datus carere iis vitiis, ac periculis, ob quae, donec maiora mihi suppetant observata, eiusdem remedii usum nec probare quidem volo, nec refellere, nec persequi singula quae e WRIGTIO, ANDERSONIO, BONDIO, VOLTELENIO, aliisque MURRAYUS in medium protulit (*a*). Illa vero, quae Multisiliquae, ac speciatim *Nigella sativa*, *Hellebori* variae species, *Dictamnus albus*, et *Ruta graveolens* alias suppeditaverant Anthelmintica remedia, nunc plane despiciuntur. Pomaceae stirpes vix non inutilia Verminosis folia *Citri aurantii* praebent; dum contra Oleraceae suppeditant Camphoram, et Rhabarbarum; illam, nisi multae adversus lumbricos virtutis, non omnis tamen expertem, ut suscepta saepius pericula docuerunt, hoc multi usus remedium, etiamsi ad Taenias non valeat, ac saepius caeteros vermes expellere potius, quam interficere videatur.

1499. Sed Tricoccae quod unum exhibent remedium anthelminticum nempe Gummi guttam fere palmam reliquis praeripe-

(*a*) App. Med. vol. VI. pag. 93. et seq.

re dicitur, et quidem iure, cum summe effi-cax existat dosi et forma, quam alibi indicavi (§. 1457.), si exhibetur, ad vermes exturbandos, eiiciendosque, efficacitatem tribuat praecipuam Specifico contra Taeniam sive HERRENSCHWANDII, sive NUFFERIANO, atque enecet, educatque si WERLHOFIO, aliisque subscribendum esset, non solum *Taeniam latam*, sed etiam *Taeniam solium*, in qua tamen postrema non satis valere Recentiores generatim tradunt. Liliaceae vero praeter varias Alii species Vermibus inimicas nuper auxerunt Anthelminticorum numerum cum Clariss. SEELINGERIUS, et SCKMUCHERUS invenissent *Veratri sabadillae* semina (§. 1053.) in pulverem ad drachmam dimidiam cum melle Adultis aliquot diebus datam, Taenias, ea specie excepta, quae solium dicitur eduxisse, atque ascarides necasse sive ore sumptam, sive ad unam, alteramque drachmam cum lotione infusam. Veruntamen etsi tuto ad pauca grana infantibus ipsis dari posse Sabadillam contendant, et plurimi faciant quidam Medicorum, non desunt nihilominus, qui mecum arbitrantur virtute ambiguum, actione non innocuum medicamentum. At Filices, et Algae duo laudatissima Anthelmintica largiuntur, illi scilicet radicem *Polypodii filicis maris* seu Filicis maris, hae *Fucum helminthochorton* seu Confervam Helminthocortos. aut Corallinam rubram, vel Corsicanam. Radix Filicis, quae communi fere consensu credebatur si ad unam. alteramve drach-

mam in pulverem recens trita sumeretur, vermes intestinorum generatim necare, sive teretes, sive lati essent, dubia virtute deinde visa est, donec hodie iterum pristinum nomen recuperavit, hoc uno discrimine quod nec semper *Taeniae latae* satis nocere, nec unquam adversus *Taeniam solium* sufficere existimetur. Non immerito igitur ad Specificum Nufferianum recipitur, quod Panaceam mercurialem, Resinam Scammonii, et Gummi guttam habens generatim Vermibus infensum, speciatim contra *Taeniam latam* valet apta methodo datum, quam tradere aliorum est, dum Taeniae solio parum, aut nihil fere adversari dicitur. Helminthocorton autem non grati halitus, et salsi saporis, quod Cl. BOUVIERIUS sale marino, gelatina, sulphate calcario, ferro, magnesia, phosphate calcario, carbonate calcario, et silice componi demonstravit (*a*), contra omnes intestinorum vermes celebratur, Taeniae si excipiantur, in pulvere cum Syrupo, aut Melle infantibus data a decem granis ad scriptulum, Adultis a dimidia drachma ad unam, nisi maiori dosi infusa, aut decocta exhibeatur. Attamen, dicam cum MURRAYO, nimium „omnino est, Helminthochorto palmam in „fugandis lumbricis tribuere.

1500. Demum Fossilia Anthelminticorum numerum iamdiu auxerunt, quamquam pauca

(*a*) Annal. de Chimie Vol. 9. pag. 83.

hodie probari soleant, nec ea quidem ob propriam quamdam in Vermes potentiam. Nam post ea, quae egerunt Viri summi Beccarius et Burserius Aquae mercuriali non plus dare soleo, quam frigida aqua sibi vindicet; Calomelano vero, aliisque ex Hydrargyro ductis remediis tribuo tantum quod stimulans, atque alvum irritando subducens eorum efficacitas postulat; Vitriola sive ferri, sive cupri, sive zinci ea dosi, qua Vermes tuto possint perimere, atque expellere, raro innoxie dari posse contendo; atque Antimonialia acriora communi ratione stimulandi opem ferre existimo. Hinc unum probatissimum nunc esse solet Stannum praeparatum, quod sive in pulverem apte tritum, sive rasum, sive granulatum arrideat, modo per se a granis decem ad viginti, semel, aut bis die, modo aliis admixtum remediis Taeniae solio, aut cucurbitinae Pallasii praesentissime mederi communiter dicitur.

RA